

17



40 II E 8 I

Ioachimi Perio-

NII BEN INI

Co

DE DIAL A LIB. III

AD

REVERENDIS N-

nem Bellai





CVM PRIVILEGIO

Parisiis, ex officina Ioannis Lodoici *Tiletani ex aduerso Collegij Remensis.*

. 1 5 4 4.



Carthusie Romane.

Ioanni Bellaio

CARDINALI IOACHI-
mus Perionius Benedictinus Cormœriacenus S. P. D.

S*I initio priori ...ionis earum quas pro Aristote... Petrū Ramum scriptas, ad te ... cum his de dialectica libris misi, qui ... usis ductus id facerē, minimè expos... ,equidem vererer, ne hoc factum meum, & instituta vita & studijs quæ secutus sum, alienum bonis videretur. Nunc cum ita necessariū hoc munus esse docuerim vt prætermitti à me sine scelere non potuerit, ita eis satisfactum esse arbitror, vt hanc culpam iam vereri non debeam. Quod si qui sunt, qui illud ipsum nimis audax & arrogās interpretentur, præsertim in tanta eorū multitudine qui multa de dialectica literis mā*



darunt, ij velim sic habeant, me nunquã de hac arte quicq̃ scripturum fuisse, nisi hæc vel similis tẽpestas incidisset. Quod satis argumẽti est me ab illa suspitione esse alienissimum. Quanq̃ si hoc extimescendum esset, multi etiam docti h[illegible]nes hanc culpã vitare non possent, præser[illegible] cũ eorum numerus qu[illegible] [illegible]aq; arte scribunt, cõstitui certus n[illegible] [illegible]odo possit. Atq; hæc quidem ad eos or[illegible] [illegible]o est, quorum in reprehensionẽ possun[illegible] [illegible]rrere. Quæ autẽ sequitur, mei in te [illegible] [illegible]ausas continet. Epistola quæ ante priorem orationem posita est, apertè illa quidẽ indicat, & duas illas orationes, & hos de dialectica libros à me in tuo nomi[illegible]e diuulgatos esse, quò testatiora tua in me beneficia essẽt. Quoniam autem hi libri separatim nunc à me, vt commodè emi possint, eduntur: ne cuius in nomine apparerẽt ignorari posset, id mihi his literis ab hominum obliuione vindicandum censui. Quantum quidem lucis dialecticæ attulerim, non


dico: maloque aliorum de hac re iudicium interponi, quàm meũ. Illud autem non dubitabo confirmare, me cum nonnulla in locorum inuentione, tũ in ea parte quæ iudicij & dispositionis est, multa docuisse, quorum auctorem non inuenerim. Nam *qui locorum inueniendorum formas omneis, & quemadmodũm ijdem per treis dispositionis formas tractari possent, exposuerit, inueni certè neminem. quorum vtrunque aliqua ex parte præstiti.* Nec *verò solis* Diale*cticis, sed etiã* R*hetoribus hæc nostra aliquid adiumenti afferent. de quo tu in primis pro ea quæ in te summa est, dicendi copia, poteris iudicare.* Q*uod si ita tibi videbitur, tum etiam atque etiam vehementer te rogabo, vt quo adhuc animo libros qui à me scripti sunt, accipere solitus es, eodem hos etiam accipias.* V*ale* C*ardinalis amplissime,* L*utetiæ* P*arisiorum* C*alendis Iulijs* M. D. XLIIII.



IV

IOACHIMI PERIONII *BENEDICTINI COR-mœriaceni de Dialectica Lib. I.*

DIALECTICA, est ars de quaque re proposita probabiliter & in utranque partem disserendi. Cum enim ars omnis habeat aliquid propositum, in quo tanquam in materia uersetur, hoc Dialectica differt à cæteris, quòd uel nullum certũ genus tractat, uel probabiliter de eo disputat. Nam reliquæ omnes, excepta Rhetorica, de qua posterius disseremus, aut in certo genere cernuntur, ut Geometria in magnitudinibus, Arithmetica in numeris, Musica in sonis, cæteræq; generis eiusdem: aut si in omni re uersentur, at certè nõ ad uerisimilitudinem, sed ad ueritatem, omnem orationem dirigũt: ut prima philosophia, quæ eadem & Sapientia, & Theologia uocatur. Atque hæc quidem plena est atque perfecta definitio. Illa autem Ciceronis quæ posita est in secũdo de oratore libro, Dialectica est ars bene disserendi, idem ea quidem, quod superior, ualet, sed quoniam non explicat quibus de rebus, & quemadmodum disserat, non tam aperta aut plena alicui uidebitur. Et si enim bene disserendi artem eam uocat, tamen quoniam prima etiam quam dixi, Philosophia, bene disserendi est ratio, errorem quendam aut obscuritatem disputantibus afferet. Quis enim illam negabit esse bene disserẽ-



di scientiam atque rationem, cum eam Plato Dialecticam appellet? Quod si ita est, certe minus plene Dialecticam definiunt ij, qui eam omnino differēdi rationem esse constituunt. Neque enim illud, bene, additum est à Cicerone, nisi ut Dialecticam ab alia quæ non bene sed malè differt separaret. Hāc igitur teneamus, quæ sic rem quæ definitur, exponit, ut eius sit propria, nullámque in rem aliam transferatur. Differere autem probabiliter, est aliquid probabili argumentatione concludere. Probabilis porrò argumētatio ea est, quæ efficit aliquid ex ijs quæ aut omnibus probātur, ut parentes colendos esse: aut plurimis, ut mundum prouidentia gubernari: aut certè sapientibus, ut deū curare res humanas. atq; sapientibus, uel omnibus, ut quod modò dixi: uel plurimis, ut uirtutem non satis esse ad bene beatéque uiuendum: uel ijs, quorū perspecta est & cognita sapientia, in quo genere sententiæ sunt probabiles philosophorum, quos cuiq; imitari placet. Quòd si Dialectica ars est de quaq; re probabiliter differendi, probabiliter autem differimus, argumentatione probabili aliquid concludendo: certè probabilis argumentatio, Dialecticæ finis sit necesse est. Et quoniam quicquid in quaq; arte traditur, id ad finem spectare debet, ut eo finem assequamur, hoc loco nobis propositū est docere quibus rebus eam poterimus adipisci quā quærimus probabilem argumentationem. Hanc autem ita facillimè adipiscemur, si eas partes ex quibus constat,

cognitas habuerimus. Neque enim melius cognosci potest, quid sit homo, quàm si quid sit corpus, quid animus, quotq; sint utriusq; partes intelligatur. Positum igitur sit, quod pòst dicetur accuratiùs, argumentationē esse orationē quæ ex quibusdam propositionibus id quod uult efficit: qua ex definitione argumentatio ex propositionibus constare intelligitur: propositiones item ex uerbis simplicibus cōstant. Ita primum de minutißimis partibus argumentationis dicendum est, deinde de maioribus, cuiusmodi sunt enūciationes & propositiones. Ex quo perspicuum est, nos in tradenda Dialectica id docēdi genus tenere constituisse, quod à Græcis σύνθεσις dicitur: à nobis constructio, siue cōpositio dici potest. De quo & alijs pauca dicenda sunt necessarió. Neq; enim fieri potest, ut cur quicq; in quaque arte præcipiatur, intelligas, si ordinem quem is qui artem tradit, seruet, ignores: præsertim cùm quicquid docetur, id ad finem artis spectare ac referri debeat. Magnis quidem auctoribus tria docendi genera placet esse. Vnum, σύνθεσιν, ut dixi, græci uocant: nos cōstructionem uocare poßumus. Alterum, ἀνάλυσις, id est dissolutio, dicitur. Tertium, διαίρεσις, id est, diuisio. Primum genus naturæ consentaneum est maximé. Vt enim natura non repente aut simul opus suum totum efficit, sed à partibus orsa, sigillatim progrediendo, totum tandem absoluit: sic artes quæ naturam & imitantur & adiuuant, singulatim & pedeten-

tim tum absoluuntur optimè, tum etiam traduntur: ut qui ordo earum fuit inueniendarum & efficiendarum, is demum etiam tradendarum optimus esse uideatur. Est igitur siue compositionis siue constructionis ordo, quædam à partibus minutißimis ad maiores, inde ad alias quoad ad finem perueniatur, progreßio. Hic ordō [illegible]de probatus est Aristoteli, quē in hac quæstione potißimū sequemur. Dicemus enim primum quæ sint, quotq; uerba simplicia, ex quibus omnis cōstet et propositio et enunciatio: deinde quid enunciatio sit, quotq; eius genera: postremo quæ ac quot sint argumentationis. In quo duas Dialecticæ partes, quæ inuētionis & iudicij nominibus appellantur, persequemur. Dissolutionis autem ordo omnino est superiori contrarius. Vt enim illic à partibus ad finem, sic hic contrà à fine ad partes fit progreßio. Diuisionis autē ordo est, cum primo id de quo quæritur & disputatur, definitione declaratur: deinde in suas formas distribuitur: rursusque formarum diuiduntur formæ, quoad diuidi possunt. Hoc plurimum usus est Cicero, ut in libris de Officijs, de Finibus bonorum & malorum, in libris de Diuinatione, alijsq; permultis, ob eam causam maximè, quòd is, ut ipse scribit, Platoni probaretur. Ac de his tribus quidem tradendarum artium generibus hactenus. Ea autem in primis præceptores & tenere ipsi debēt, & initio interpretationis librorum suis tradere, ut sciāt quò quicq; referatur. Nunc cōmodè ad institutum nostrum

aggrederemur,sed quædam antè dicenda sunt,quæ cū ad multa alia.tū ad definitionē Dialecticæ intelligendam cognoscendámq; conducent. Primū enim quærendum est, Sit ne ars Dialectica:deinde,de eius materia & fine accuratius disputādum est:tum quo modo inter se affectæ sint Logica & Dialectica, itémq; Rhetorica & Dialectica. Ac prima quidem illa quæstio,nisi artis cognita definitione,explicari nullo modo potest. Qui enim quid ars sit ignorabit, aut aliud esse artem atque sit opinabitur, is Dialecticam multis modis artem non esse cōfirmabit. Nam artem omnem & in certis rebus uersari dicet oportere,& semper finem quem propositum habeat,adipisci: & sic officiū suum tueri,ut nemo qui ea non sit præditus, id facere poßit, & earum rerum esse quæ sciantur,& opus quod effecerit,conseruare,non euertere:quæ & pleraq; alia cū Dialecticæ non conueniant, effici contendet in artium numero non esse habendam Dialecticam. Hæc uno fere modo refelli poßunt omnia, quoniam ferè ex artis definitionis ignoratione nata sunt. Sit igitur ars quædam ex multis perceptionibus ac notitijs usu & exercitatione conquisitis,& in unum exitum ac finem spectantibus, animi habitus constitutus, uel earum coaceruatio. Hic cum habitum esse artem statuo, ad eas quibus quisq; præditus est refero:cum coaceruationem dico,ad eas,quæ libris continētur. Hæc autē ex multis locis Aristotelis collecta definitio est. Principio enim

primæ philosophiæ dicit, tum denique artem nasci & oriri, cum ex multis exercitationis atque experientiæ perceptionibus, uniuersa quædā similium notitia nascitur. Vt si quis obseruauerit alicui hoc morbo laboranti illud profuisse, atque alij & sigillatim alijs eodem modo, usus est: At si omnibus eiusmodi, in uno certo genere idem profuisse animaduerterit, iam artis est. Itaque principio artis Rhetoricæ, opus artis esse dicit, cum id quod sub artem cadit nonnulli temerè ac casu, alij exercitatione & consuetudine faciunt, cur id faciant, notare. Nam hoc inscius qui usu ualet ab artifice differt, quòd ille non potest afferre causam cur ita fiat, hic potest. Cicero quidem eadem in secundo de Oratore libro de Arte & dicit & sentit. Huius rei, inquit, scientiam si quis uolet magnam quandam artem esse dicere, non repugnabo. Etenim cùm pleriq; temerè ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter consuetudinem aliquā callidius id faciant, nō est dubiū, quin si quis animaduerterit quid sit quare alij melius q̄ alij dicūt, id poßit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si nō planè artē, at quasi artem quandam inuenerit. In IIII. autē Acad. quæst. hoc modo: Ars uero, inquit, quæ potest esse, nisi quæ non ex una, aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? quam si subtraxeris, quî distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus: sed cum al-

terum percepta & comprehensa tenere uidemus, alterum non item. Hac artis constituta definitione facilis est locorum contrariorum refutatio. Nam cum artis uis & natura certam rem in qua consistat & uersetur, non comprehendat, Dialecticam ob eam causam nõ habendam esse artem quòd in certo genere non uersetur, id falsum est. Illud autem quod de fine obiectum est, cum de fine huius artis paulò post differemus, refelletur. Nam inscios artis munus præstare, & Aristoteles & Cicero superioribus uerbis cõfirmant. quod quidem declarat artem omnem à natura proficisci. Reliqua autem duo quæ obiecta sunt, longiorem desyderant orationem. Nam prius illud, Artem earum rerum esse quæ sciantur, in secundo de Oratore libro explicatum est his uerbis, Ars enim earum rerum est quæ sciuntur, Oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam & apud eos dicimus qui nesciunt, & ea dicimus quæ nescimus ipsi. Itaque & illi aliàs aliud iisdem de rebus & sentiunt & iudicant, & nos contrarias sæpe causas dicimus: non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, cum alterutri necesse sit falsum dicere, sed etiam ut uterque nostrum eadem de re aliàs aliud defendat, cum plus uno uerum esse non possit. Atque hæc quidem Antonius apud Ciceronem obiicit, nec diluit. Nos autẽ ad ea quæ nobis obiici possunt, respondeamus. Sic enim tractari potest argumentatio, Ars

omnis earum rerum est quæ sciuntur: Dialectica autem earum non est quæ sciuntur. Nam cum in disserẽdo posita sit, & is qui contra disputat, sæpe contra alterum, & ille contra hunc dicat de ijsdem rebus disputãtes, alterutrum necesse est falsum dicere: Non est igitur ars Dialectica. Facile ad hoc responderi potest. Nam cum Dialecticæ nõ ueritas, sed uerisimilitudo proposita sit, non si ij qui inter se disputant, ijsdem de rebus aliud sentiunt et dicunt, et alteruter falsum dicit, idcirco Dialectica earum rerum est quæ nesciantur. Disputamus enim exquirendæ ueritatis gratia (neque enim quæstionem poneremus) in qua exquirenda si periti sumus artifices, ex certis initijs quò uolumus peruenîmus. Sunt enim sua cuiusque artis principia. Vt Dialecticæ, Contraria in ijsdẽ rebus sita esse. Contrarijs contraria conuenire. Cui definitiò conueniat, rem etiam quæ definiatur cõuenire: aliáq; permulta generis eiusdem. Ex quibus si quid alter rectè cõcludat, nõ certè alter, si modo doctus sit, repugnabit. Ita earum etiã rerum quæ sciũtur, Dialectica est. Cum autem Dialectica definitur esse probabiliter disserendi ars & ratio, tũ ex maiore parte argumẽtorum ex quibus aliquid cõcludit, eius uis & natura spectatur. Quod si uelimus solùm tenere, profectò huic loco ita satisfaciemus, ut illud primum, Ars earum rerum est quæ sciuntur, negemus, si tantummodo earum esse intelligatur. Nam & Rhetorica ars est, & medicina & Astrologia, & pleræq; aliæ, quæ non

semper earum rerum sunt quæ sciuntur. Scientia autem hoc loco pro certa comprehẽsione, quæ opinioni & dubitationi cõtraria est, sumitur. Nam illud alterum quod reliquum est ex ijs quæ obiecta sunt, ex eo Dialecticã nõ uideri artem esse, quia euertat opus suum, quod ars conseruare debet: facile est ad explicandum. Neq; enim is qui contra disputat, id sibi habet propositum in refellendo, ut uerisimilem disputationem quæ Dialecticæ opus est, tollat aut uerisimilitudinẽ, sed potius eam ut inueniat, inxẽtámq; stabiliat atq; confirmet. Quòd si falsis rationibus nec probabilibus prudens & sciens utatur, ijs quidem in disputationibus quæ non ad periculum faciundum conferũtur: is profectò non iam Dialectici officio fungi uidebitur. Quãquam ne in illis quidem hoc licitũ esse fieri ratio ipsa patitur. Est enim tentandi ars pars quædã, ut uult Aristoteles, Dialecticæ, quæ cum in probabilibus rebus tota uersetur, etiã pars uersetur necesse est. Sequitur ut de materia Dialecticæ accuratius quàm initio fecimus, disseramus. Res quidem omnes quæ in disputationem incidere põssunt, Dialecticæ propositas esse tanquam materiam, iam dictum est. Quod Aristoteles multis locis & in Topicis, & in Reprehensionibus Sophistarum docet. Nos autem id ipsum hac etiam ratione confirmare possumus: Dialectica aut in nullis rebus uersatur, aut in certis, aut in omnibus. In nullis rebus eam dicere uersari, amentia est, cum ars isto pacto & inscitia idem ualerent. Si in

certis uersetur, quæ tandē illæ erunt? Grammaticæ ne? At id nemo concedet. An arithmeticæ? astrologiæ? musicæ? geometriæ? Multo minus. Nam de Rhetorica mox erit differendum. Quòd si artes singulæ, in suis quæq; & uniuersæ in omnibus rebus cernantur, & Dialectica certas sibi res propositas habeat, in omnibus uersetur necesse est. Atque id nomen ipsum indicat. Dialectica enim omnino dicitur, nullúmque genus rei nomine suo complectitur, ut ferè omnes complectuntur quæ in certis rebus uersantur. Nam & arithmetica numerum, & astrologia astra, & geometria terram, & physica naturam, cæteræque certa genera quæ proposita habent, cōplexu suo continent. Sed ut hæc uera sint, in certis rebus nullis uersari Dialecticam, tamen hinc magna quædam existet quæstio, quemadmodum de rebus omnibus, quæ sunt illi cum singulis artibus communes, differere poßit. Nam si de geometriæ, musicæ, medicinæ, cæterarúmque artium rebus dicat & differat, tot illæ artes superuacaneæ uidebuntur, hæc una necessaria. Ita reliquæ tollendæ erunt, hæc una retinenda. Hæc mihi quæstio duobus modis explicari posse uidetur. Quæ enim artes certum habent genus propositum quod tractent, eæ quoniam non interrogāt, ut etiam uult Aristoteles, in utrāq; partem non disputant de rebus suis. Neque enim uerisimilitudinem spectant, sed solam ueritatem: Dialectica autem uerisimilitudinem sibi propositā habet. Ita cum illæ ueritatem

spectent, hæc probabilitatem in disserendo, non si hæc in rebus omnibus uersetur, idcirco locus nullus futurus est cæteris. Alio etiã modo huius & reliquarum artium dissimilitudo concludi potest. Dialectica de rebus omnibus illa quidem probabiliter disserit, sed ita, ut ex cõmunibus sibi cum cæteris artibus initijs progrediẽdo quod uult efficiat: reliquæ autem ex suis quæq; ac proprijs. Nam si in rebus aliarum artium dialectica uersatur, eas concludat necesse est aut ex proprijs earũ principijs, aut ex communibus. Non ex proprijs, quoniam isto modo reliquarum nulla erit, sed hæc una necessaria, aut certè dialectico comprehendenda & tenenda erit perfecta rerum omnium scientia. quo nihil absurdius. Ex communibus igitur artium omnium principijs in aliqua re concludenda, progrediatur necesse est. Hoc Aristoteles in eo libro qui est de Reprehensionibus sophistarum docet, his uerbis, Ita fit, ut ratio tentandi nullius sit certi generis scientia. Itaque omnibus in artibus uersatur. Omnibus enim artibus communes quidam loci propositi sunt. Quocirca omnes etiam idiotæ & ignari disserendi, tentandiq; ratione quodammodo utuntur. quoniam est quatenus omnes defendere ac refellere conantur. Atque hæc ille. Nobis autem dicẽdum est, qui sint communes loci omnium artium, quiq; singularum proprij, ne errore fallamur. Loci quidem maioris minoris, paris, comparationum, similitudinis, dissimilitudinis ac differentiæ, causarum, effe-

ctorum, generis, formæ, cæteriq; eiusdē generis communes sunt omnium. Est enim ars nulla, quæ non ex his locis aliquid cōcludat: ueluti ex maiore, in physicis, hoc modo, Si puluis sursum à uento fertur, & pluma. In philosophia morali, Si liberalitas uirtus est, multo magis magnificentia. Itémque hoc modo, Si diuitiæ in bonis sunt, & uirtus est. Quod eodem modo de alijs iudicandum est. Quocirca in primo libro de arte rhetorica hos locos communes uocat Arist. quòd ijs artes omnes utantur. Proprij autem dicuntur ij, qui ad artem aliam transferri nequeunt. Cuiusmodi sunt dialecticorum ij, qui ex generis, proprij, definitionis, accidentisq; proprietatibus eruuntur. uersatur enim omnis dialecticorum ars in his quatuor. Oratorum sunt, æquitatis & iniuriæ, uirtutis & uitij, utilitatis & damni loci. Geometrarum ij qui ex magnitudinum, astrologorum qui ex astrorum, arithmeticorum qui ex numerorum, musicorum qui ex sonorum proprietatibus naturisq; sumuntur. Sed de his alio loco disseremus pluribus. Nūc enim satis est intelligi, dialecticam hoc à cæteris differre artibus, quòd dialectica ex communibus locis omnium progreditur, ut efficiat quod uult: cæteræ autem etsi his etiam locis cōmunibus utuntur, tamen proprios habēt. Quod quo facilius intelligeretur, qui essent loci omnium communes, quos adhiberet dialectica, & qui singularum proprij, exponendum fuit. Atque hæc quidem de dialecticæ materia dicta sint. Nunc quis ei

finis propositus sit dicendum est. Coniuncta est officij finisq; quæstio. Officium quidem dialectici nõ est probabiliter concludere, sicuti nec medici curare, nec oratoris persuadere: sed omnia præstare quæ ad id efficiẽdum conducant. Finis autem ei propositus, est probabilis concl[illegible] medici finis est curatio & ualetudo, ora[illegible]suasio, gubernatoris secunda nauigatio, imperatoris uictoria: sic dialectici probabilis conclusio. Quicquid enim in omni arte eiusmodi est, quod non cadit in deliberationem, in eo finis artis est. Nam cum finis sit ad quem omnia referãtur, si finis in deliberationẽ caderet, rursus ad finem aliũ referretur. Quicquid enim in deliberationem cadit, aliò refertur. Nunc nec imperator de uictoria consultat, nec medicus an curet, nec orator an persuadeat. Quæ cum ita sint, probabilis conclusio finis sit dialecticæ necesse est, cum dialecticus de illo, an probabiliter concludat, nõ soleat cõsultare. Quæ autem de officio & fine dialecticæ diximus, sunt apud Aristotelẽ in Topicis, in arte rhetorica, & in libris de moribus ad Nicomachũ filium. In Topicis hæc, Sed huius rei tum demum perfecta in nobis erit ratio, cũ id accidet nobis quod ijs qui arte rhetorica, medicina, cæterisque artibus sunt prædití. id est cum ex ijs quæ erũt in nostra potestate, efficiemus quæ uolumus. Nam nec orator omnibus modis persuadere solet, nec medicus curationẽ adhibere: sed si nihil prætermittat eorum quæ adhibere poßit, tum denique &

peritum eum & artificem iudicamus. In principio artis rhetoricæ, Illud ergo perspicuum est, artem rhetoricam & in nullo certo genere uersari: sed ut dialectica uersatur, sic eam in omnibus uersari, & eam esse utilem. Hoc etiam constat, non esse eius officium persuadere, sed obseruare in quaq; [illegible] apposit ad faciendam fidem. Id quod in c[illegible]s animaduerti licet. Neque enim medicinæ est curare, sed quoad licet, eò peruenire. Fieri enim potest, ut aptè curentur ij de quorum salute desperetur. Cicero autem principio artis rhetoricæ quæ uetus dicitur, quid inter officium & finē intersit, scienter exponit his uerbis: Inter officiū autē & finē hoc interest, quòd in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, consyderatur. Vt medici officium dicimus, curare appositè ad sanādum: finem, curatione sanare. Officiū ergo, ut rē in pauca cōferam, commodè interpretabimur, id quod artifex facere debet. ut dialectici officium dicamus, accommodatè ad probabilitatē de quaq; re proposita disserere, quoniam id facere debet: Finem autem, probabiliter de quaque re proposita disputare. Quo autem modo inter se affectæ sint Logica & Dialectica, dicamus. Diogenes quidē Laërtius in Aristotelis uita, ab illo philosophiā distributā esse dicit in partes duas, in eā quæ cognitione & scientia, quam θεωρητικὴν uocant Græci: & in eā quæ actione cernitur, quam πρακτικὴν nominant. Huic eā quæ est de moribus, de Rep. et de re familiari

subijcit. Illam in duas rursus partes diuidit, in naturæ obscuritatem, quæ φυσικὴ græcè dicitur: & in dicendi rationem, quæ λογικὴ uocatur. λογικῆς multas partes esse dicit, ἀναλυτικὴν, & philosophiam eam scilicet quæ prima dicitur, quibus ueritatē propositam esse confirmat: dialecticam & rhetoricam, quæ spectent uerisimilitudinem. Ita Logica ad dialecticā sic affecta est, ut pars ad totum. In ijs quidem libris qui extant Aristotelis, nulla talis earum dißimilitudo reperitur. Ex quo perspicuum est, si Diogenis uera est sententia, hæc ab eo reperta esse ijs in libris, quibus caremus. Nā in ijs quos habemus, nomen logicæ me legisse non memini, sed solum λογικοὺς συλλογισμοὺς, id est logicas ratiocinationes, idque in primo libro de arte rhetorica, pro dialecticis. Quocirca utroque nomine in eadem re utamur licet, nisi fortè stādū Laërtij iudicio putamus.

Illa autem mihi difficilior uidetur quæstio, quonam modo Rhetorica affecta sit ad Dialecticam. Difficultatem enim augēt rationes, quæ ab Aristotele sumptæ sunt. Si enim utraque & in rebus omnibus uersatur non in certo ullo genere, & eundem finem habet propositum, uerisimilitudinem, & uerisimilem persuasionem: profectò nihil inter eas intererit. Sed quò facilius quid de hoc tenendum sit, intelligamus, hoc ponendum est, si artes duæ in ijsdem rebus uersentur, non effici cōtinuò, ut eædem sint. Multa enim præterea debent cōcurrere, ut idem finis, ut eadem probandi ratio, ut ma-

teriæ eiusdem eadẽ cõsyderatio, aliáq; permulta. Nam prima philosophia in rebus omnibus uersatur, quẽadmodũ dialectica: sed quia alium finẽ habet sibi propositum, scilicet ueritatem, & res aliter spectat atq; dialectica (res enim quatenus sunt spectat, dialectica quatenus uerbis significantur) ob eam causam aliud est prima philosophia, aliud dialectica. Quæ an rhetoricæ cõueniant, uideamus. Aristoteles quidem principio artis rhetoricæ eam dicit quasi ex altera parte respondere dialecticæ: quod paulo post ita explicat, ut illã esse dicat quandam eius partem & propaginem, & similitudinem. Quod si ita est, aliud sit rhetorica, aliud dialectica necesse est. Aliud enim totũ, aliud pars est. Sed hoc fieri posse uel Aristotele auctore, minime uidebitur. Cum enim eodem loco utranque dicat eas res tractare quæ cæteræ artes tractãt, profectò rhetorica pars non erit dialecticæ. Vrget hoc argumentum, neque refelli nisi distinctione ullo modo potest. Rhetorica quidẽ non est sic dialecticæ pars, ut homo animalis pars, id est forma & species dicitur: sed ut Cicero artẽ rhetoricam principio eius artis quæ uetus uocatur, partem ciuilis scientiæ dicit esse, non quia omnis rhetorica ciuilis sit scientia, sed quia ad eam referatur: sic rhetorica dialecticæ pars habenda est. Neque enim aliter illa Aristotelis sententia defendi posse mihi uidetur: nisi forte dialecticam eo loco pro logica sumi putemus. Nam quod ait Cicero, hoc inter dialecticam & rhetoricam

intereſſe, quòd illa ſit contractior, hæc latior, id ſic intelligendũ eſt, ut dialectica in eo quod probat & concludit, certis quibuſdam terminis quaſi litoribus coercita ſit, extra quos egredi ei non liceat: rhetorica autem liberè tanquam plenus & redundans alueus in medios campos ſic in omnem partem excurrat & uagetur. Quæ quidem diſtinctio & differentia nõ à natura rerum, ſed à fortuna potius profecta eſt. Neque enim amnis cum æſtatis caloribus & ſiccitatibus uel omnino exhauſtus eſt uel decreuit, alius eſt atque tum cum nimia aquæ copia hyeme redundaret. Quapropter difficillimum eſt quæ earum ſit diſsimilitudo explicare, ut tibi naturæ ac rei proponas differentiam. Eſt enim utriq; idẽ propoſitus finis, in iiſdẽque rebus uerſantur, quas eodem modo, id eſt, probabili ratione concludunt. Quãquam autẽ hæc difficilis eſt quæſtio, tamen danda opera eſt, ut explicetur. Mihi quidem hæ duæ artes ut in omnibus rebus uerſentur, non tamen in iiſdem eodem modo uerſari uidentur. Rhetorica enim in omnibus uel æquitatem & iniuriam, uel honeſtatem & turpitudinem, uel utilitatem & damnum exquirit, atq; ferè in rebus ſingulis uerſatur. Itaque cauſarum, id eſt ὑποθέσεων oratores tria genera ponũt, in quibus omnis eorum conſumitur oratio. θέσεις autem, id eſt conſultationes, non admodum adhibent, niſi quoties cauſa poſtulat, ut ad eas cauſæ tanquam ad fontes & capita reuocentur. At dialectica θέσεις, id eſt propo-

sita ferè tractat, rebúsq; singulis, nisi raro, non utitur: res uerò non solum ad ea tria dirigit, sed ad solam etiã scientiam, ut, sit'ne animal rationis particeps hominis definitio? Quod etsi oratores interdum faciunt, cum in nomine uersatur disputatio, tamen id præterea aliò ut ad uirtutem uel uitium referunt, dialectici autem in his contenti sunt scientia. Hæ igitur artes duæ hoc differunt, quòd uel in ijsdem rebus non uersentur, ut dialectica in rebus uniuersis, facultas dicendi in rebus singulis uersetur: uel si easdem res tractãt, non tamen eodem modo eas consyderent. Hoc enim posterius satis esse ad rei distinctionem hinc intelligi licet, quòd cum arithmetica & musica in ijsdem rebus, id est in numeris uersentur, tamen distinctæ artes dicuntur esse, propterea quòd illa numerum per se, id est quatenus est numerus, habet propositum: hæc quatenus inter se iunctus & compositus, sonum aptum gratumq; reddit. Atque hæc quidem distinctio quæ est Aphrodisiei satis est ad hanc explicandam quæstionem. Nam aliæ præterea explicari possunt, cuiusmodi sunt eæ quas ex harum artium distinctis definitionibus licet sumere. Est enim rhetorica bene dicẽdi ratio: Dialectica autẽ bene differendi. Quæ cũ sint diuersæ, res quoq; diuersæ erũt quæ definientur. Sed hæc distinctio eos tantum adiuuabit, qui confirmandi partes obtinebunt. Illa autem ualebit contra eos, qui argumentis superioribus uel alijs eiusdem generis nihil inter eas interesse cõcludent.

Hoc loco quæstio facilis illa quidem, sed quæ multos angere solet, dissoluenda est, quæ ex dialecticæ definitione existit. Dialectica definita est ars esse probabiliter de quaq; re differendi. Multa autem necessaria ratione concludit. ut cum à definitione, à genere, à forma alijsq; necessarijs locis argumenta sumuntur. Neq; enim si argumentum tractem hoc modo, Si homo est, rationis igitur est particeps: aut hoc modo, Si homo est, animal igitur: aut aliter eodem modo, probabili ratione concludo, sed necessaria. Ita dialecticæ uitiosa uidetur definitio, quæ non omnia complectatur quæ debeat. Ad hoc respondendum est, res omneis ex maiore parte spectandas esse, & ex eo quod fiat sæpius. Nam & rhetorica & dialectica necessarijs utuntur rationibus, sed quia id raro faciunt, non exprimitur: id autem quod ferè tractãt, exprimitur. Hæc ferè sentẽtia est eius qui græcè artem rhetoricam Aristotelis interpretatus est.

Quoniam multas quæstiones, quæ & in omni arte tradẽda poni solent, & ex dialecticæ definitione existebant, explicauimus, deinceps institutum nostrum quẽadmodũ polliciti sumus, persequamur. Dialectica est, ut diximus, ars de quaq; re in utranq; partẽ differẽdi. quod quoniam ut & Aristoteles, & Aphrodisieus, & Suidas tradũt, nõ fit nisi quærẽdo & respõdendo, quid sit Quæstio Dialectica, & quot eius genera, & ex quibus uerbis constent, dicendum est. Quo loco dialecticæ partem eam, quæ inuentio dicitur, per-

Inuentio

ſequi incipimus, tum iudicium docebimus. Eſt autem inuentio pars ea quæ à Græcis τοπικὴ uocatur, id eſt ſcientia & ratio locorum inueniendorum, ex quibus argumenta depromantur ad id probabiliter cōcludendum de quo quæritur. Quæſtio quidem dialectica in partes duas omnis diſtributa eſt: altera cognitionis eſt, altera actionis. Cognitionis eſt ea quæ ad ueritatem & ſcientiam pertinet, id eſt, ut Cicero exponit, cuius finis eſt ſcientia. ut ſi quæratur, Sit néc ne mūdus ſempiternus? In hac enim ſola cognitio ſpectatur & ueritas, qua inuenta, animus noſter conquieſcit. Actionis autem ea eſt, quæ ad perſequendum quid & declinandum, id eſt ad expetendum & aſpernādum pertinet. cuius generis hæc eſt, Sit'ne uoluptas in bonis, néc ne? Tertium genus addit Ariſtoteles, id quod adiumentum affert ad aliquid aliud utriuſque generis. Quales ſunt dialecticorum quæſtiones propriæ, ut Alexander interpretatur, quæ uel ad rerum expetendarum & fugiendarum, uel ad ueri & falſi inuentionem cognitionemque conducunt. ut ſi quæratur, Sit'ne homo ſpecies néc ne? & ſi quæ ſunt eius generis. neque enim earum eſt finis ſcientia, neq; ſunt ad expetendum, ſed ad ueritatem cognoſcendam adiumentum afferunt. Nam cum ſciero hominem eſſe formam, tum connectam hoc totū, homo eſt animal. quod iam uerum eſt. Quod cum in omnibus artibus eodem modo quæri poßit, non uideo cur potius hæ dialecticorum propriæ ſint, quàm cæte-

rorum. Sed utcunq; res habeat, idem auctor eas quæstiones quæ cognitionis sunt, naturales: quæ ad expetēdū quid aut fugiēdum ualent, morales: quæ ad hæc adiumentum afferunt, eas dialecticas nominat. Aristoteles certè eodem primo Topicorum libro tria genera eodem modo quæstionum ponit his uerbis, Propositiones autem & quæstiones in partes treis distributæ sunt: partim enim ad uitam & mores, partim ad naturæ obscuritatem, partim ad disserendi rationem pertinent. Ad uitam & mores, quales hæ sunt, Sit'ne parētibus potius parendum, an legibus, si discrepent? Ad disserendi rationem, hæ, Vtrum eadem ars in cōtrarijs uersetur? Ad naturæ obscuritatē, ut, Sit'ne mundus sempiternus? In his autem tribus quæstionum generibus sola uerisimilitudo spectatur, de qua initio diximus. Itaque quæstionem dialecticam hoc modo licet definire, Quæstio dialectica, est quæstio probabilis. Nihil autem interesse uolumus hoc loco inter πρότασιν & πρόβλημα, & θέσιν, quoniam & hæc indoctis scribimus, qui subtilitatem dicendi capere non poßint. & Aristoteles nihil referre dicit quocunque nomine utamur. Itaque θέσιν propositum & consultationem uocamus cum Cicerone, id est infinitam quæstionem, quæ dialecticorum & philosophorum est propria. Neque enim res singulas, ut dixi, ferè intuētur illi, sed uniuersas. Quæ autem definita est, ὑπόθεσις nominatur. Ea causa etiam appellatur, cernitúrq; certis personis, locis,

temporibus, actionibus, negocijs, aut in omnibus, ut uult Cicero: aut in plerisq; eorum, ut Sit'ne Socrati ducenda uxor hoc tempore & hoc loco? Atque hæc est quæstionis dialecticæ secunda diuisio. Tertia autem adhiberi hæc potest, ex superioribus originem ducēs, Alias esse quibus an sit, alias quibus quale quid sit quæritur. Nam cum quatuor sint, ut Aristoteli placet, quæstionum genera, an sit res, quid sit, qualis sit, & quæ eius causa sit, nec illa qua rei natura quæritur, nec illa qua causa rei, dialectica est. Dialectica enim quæstio, est responsionis petitio, ut uel propositio explicetur, uel pars altera repugnātiæ, quod in his duobus generibus fieri non potest. In neutro enim genere enunciatio continetur. Hoc autem rectè intelligendum est. Neq; enim uerum est omnino, eas quæstiones nullo modo ad dialecticum pertinere. Cui enim dubium est, quin disputādo si de cuiuspiam rei definitione cōtrouersia sit, quæri poßit, quæ sit eius definitio? Aut si quis argumentum ex causa sumi dicat, & alter neget, quæ sit causa rei? rectè quæratur. Quocirca cum hæ dialecticæ negantur, hoc solū negatur, disputationē ab illis institui oportere. In media enim disputatione eis loci aliquid, si ita res ferat, relinquitur. Quæstionis autē qua quæritur qualis res sit, duo sunt genera: unum, quo res simpliciter quæritur: alterum, quo cōparatè. Simpliciter, ut Sint'ne diuitiæ in bonis? cōparatè, ut Sint'ne diuitiæ præponendæ officio? Hæc genera Cicero in Topicis est diligēter per-

ſecutus. Eam autē qua quæritur, an ſit, idem auctor in quatuor partes diſtribuit, quæ in tres reuocari poſſunt, ut quæramus primū, ſit'ne res aliqua re uera, ut ſit'ne dolor reuera, an ſolum opinione ſit? deinde quæ cuiuſq; ſit origo, ut, à doctrina, an natura profecta ſit dialectica? poſtremo quæ ſit cuiuſq; rei mutationis aut interitus cauſa, ut an, mundus aliquando eſſe deſinet? Atque hæ quidē in hoc genere ſimplices quæſtiones ſunt. In alijs autem comparatè aliquid quæri poteſt, ut plús ne natura in dialectica poßit, an'ne doctrina? Ita hoc quoque genus quæſtionum duobus modis diuidi poteſt. Sed ne cui mirū uideatur, eam quæſtionem qua an ſit res quæritur, in dialecticis numeratam eſſe à nobis, ſic habeat, nos Alexandrum Aphrodiſieum in hoc ſecutos eſſe, qui ex illis quatuor, quas Ariſtoteles principio libri ſecundi poſteriorum analyticorum, ut ſupra dixi, numerat, duas has, an ſit res, & qualis ſit, dialecticis ſolas relinquit. Eius uerba ſi quis requirat, hæc ſunt, Atq; dialecticæ quæſtiones fuerint eæ omnes quæ referuntur ad eam quæſtionē qua qualis res ſit, & qua, an res ſit, quæritur: quæ duæ ſunt earum quatuor, quas principio ſecundi libri poſteriorum analyticorum commemorauit ipſe Ariſtoteles. Nam quæſtiones eæ quarum altera quæritur, quæ rei cauſa ſit, altera quid ipſa ſit, non ſunt dialecticæ. Hæc ille. quanquam non ſine cauſa mirum uideri poteſt, cur illa ſit dialectica quæſtio, qua res an ſit omnino quæritur. Nam ſi omnis quæſtio dialectica,

ut mox dicetur, uel generis sit, uel definitionis, uel proprij, uel accidentis, propterea quòd in omni quæstione aliquid eorum quatuor rei attributum esse aut non esse ponitur: in hoc autem quæstionis genere nihil eorũ attributũ est: profecto dialectica huiusmodi quæstio esse nullo modo potest. Cum enim quæritur, sit ne dolor reuera: est, uerbum secundum ponitur. Ita nec genus, nec definitio, nec proprium, nec accidens rei attribuitur. Quapropter non uidetur hæc propriè quæstio ad dialecticos pertinere, si Aristotelis sequamur auctoritatẽ. At alijs contrà esse uidebitur eiusdẽ sententia. Si enim dialectica quæstio est alterius partis repugnantiæ petitio, ut iam diximus, illius sententia, repugnantiæ autem pars altera quæritur, cum hæc quæstio ponitur, Sit nec ne sit dolor? certè quæstio hæc sit dialectica necesse est. Præterea cum dialectica omnis enunciatio à quæstione dialectica profecta sit, hæc autem enunciatio, Deus est, dialectica sit: fit ut quæstio qua rès ne sit quæritur, ad dialecticos pertineat. Enunciationem autem illam esse dialecticam hinc intelligi potest, quòd Aristoteles in libro de interpretatione enũciationes multas enumerat, in quibus est uerbum secũdum collocatur. Atque hæc quidem in utranque partem sunt à nobis disputata.

Vtra autem pars propius ad ueritatem accedat, difficile est explicare. Mihi quidem hæc quatuor quæstionum genera dialecticorum uidentur esse, non omnino quidem, sed si ea quæ inuoluta in eis sunt, explicentur.

ut si quæratur, Quid sit homo, non dialectica uideatur: sed si hominis definitionem qua quid sit homo declaratur, in quæstionem uocemus, hoc modo, Sit'ne homo animal rationis particeps mortale? Hac enim quæstione quid sit homo, si non uerbo, at reipsa quæritur. Nam cum definitione quid res sit breuiter explicetur, profecto cum hoc quæritur, An sit homo animal rationis particeps mortale? etiam hoc quodammodo quæritur, Quid sit homo? quòd hæc ad illam quæstio reuocatur. In hanc autem quæstionem mihi cadere eæ uidentur omnes, quæ in genere & definitione uersantur: in eam autē qua quale quicq; sit quæritur eæ omnes, quæ proprij & accidentis sunt. quanquam Cicero proprietatis quæstionem ad eam refert, qua quid sit quæritur, quòd proprietas rei quædam sit eius definitio. Aristoteles autem illam separat, quòd proprietas non rei naturam, sed quod rei naturam consequatur explicet. Eam uero quæstionem qua res an sit quæritur, quæ eadem coniectura appellatur, ad eam qua quid sit quæritur, reuocare debemus, id est, uel ad generis uel ad definitionis quæstionem. Cum enim quærimus, Sit'ne dolor reuera? quodammodo quærimus, sit'ne in decem summorum generum quopiam? Ita quæ posita est, explicari debet quæstio. Reliqua est illa, qua quæ cuiusque rei sit causa quæritur. Ea ad id genus mihi reuocanda uidetur, quo qualis sit res quæritur. Nam aut propria causæ effecta sunt, aut aduentitia. Huius exempla sunt, An uirtus

beatam uitam efficiat? An res quæ extra sunt, beatum efficiant, néc ne? Hoc quartū genus quæstionum á reliquis, ut dixi, Aristoteles separat: Cicero autem ad illud genus refert, quo an sit quæritur. Ponit enim hæc tria solū genera, ut dixi, An sit, quid sit, quale sit. Ad hanc autem quæstionum diuisionem facile, ut iam intelligi potuit, ea reuocari potest quam Aristoteles in Topicis tradidit. Vidit enim ille uir eadem animi acie qua rerum omnium causas & fontes uiderat, quicquid in disputationem incideret, in eo uel generis (ad genus autem & differētiam & formam eius accommodat) uel definitionis, uel proprij, uel accidētis quæstione cōtineri. Quæ quidem partitio utinam tam planè cognita esset nonnullis, quàm facile ab eis reprehēditur. Neque enim eam culparent, sed maximis laudibus efferrēt & probarent. Non enim uerum est quod Aristoteli obijciunt, his quatuor quæstionū generibus tantum quæri proposito aliquo genere, sit'ne rei de qua quæritur genus: aut proposita definitione aliqua, sit'ne rei propositæ definitio: aut proprio proposito, sit ne rei propositæ proprium: aut accidente, sit'ne accidens: sed hoc uult Aristoteles, quicquid ad disserendum proponatur, id eiusmodi esse, ut horum quatuor aliquo comprehendatur. Nam cum in omni quæstione dialectica duo sint ut minimum nomina, quorum posterius rem quam declarat, ei quæ priore significatur, conuenire, aut non conuenire enunciat, id profectò nisi duobus modis effici nō

potest. Quicquid enim alicui conuenire dicitur, id illi sic conuenit, ut aut in rem aliam cadere non possit, aut ut possit. Si non possit in ullam aliam rem cadere, id uel definitio erit uel proprium. Nam si rei naturam explicet, definitio est: si non explicet, proprium. Si in aliam rem transferri possit, uel genus erit, uel differentia, uel accidens. Nam si in rei defintione contineatur, genus erit uel differentia, quoniam omnis ex genere & differentia constat definitio. Si non inclusum sit in definitione, accidens sit necesse est. Quæ cum ita sint, aut ponant aliquam quæstionem aduersarij, in qua nullũ horum quatuor collocatum sit, aut certè hanc diuisionem reprehẽdere desinant. Sed quemadmodum cœpi dicere, quod non intelligebãt, id, ut ferè fit, reprehenderũt. Putauerunt enim, quòd Aristoteles ea nominaret, semper in omni quæstione esse nominanda. Quos uel ipse coarguit. Accidenti enim ait attributas esse eas omneis quæstiones, quibus rerum inte[illegible] comparationes continentur: ut propositis duobus quæ bona sint, utrum sit melius: quod de cæteris eiusdem generis iudicãdum est eodem modo. Atqui in ijs nulla fit accidentis mentio. Eadem est ratio quæstionum, quæ ex genere, forma, differentia, proprio, aut definitione constant. Cum enim philosophi quærunt, ut ait Gellius, sit'ne uox corpus? ea in genere uersatur quæstio. Quæritur enim, num uocis corpus sit genus. Itémq; cum quæritur, sit'ne tẽpus motus cæli &c.? definitionis quæstio est. cũ hoc, Sit'ne

homo solus natus ad percipiendā disciplinā? & solús ne ignis natura sua sursum feratur? prior differentiæ, posterior proprietatis quæstio est. Harum ego omnium pauca exempla posui, quòd ad eorum normam infinita omnes dirigere possunt. Ex quibus perspicuum est, duplices quæstiones ex quoque horum quatuor posse confici. Nam ut de genere potißimū dicam, & hoc quæri potest, Sit'ne corpus uoci genus? & hoc, Sit'ne uox corpus, néc ne? Quod in cæteris etiam tribus doceri potest eodem modo. Quoniam autem dialectica in quærendo & respōdendo omnis, ut docui, posita est: omnis autem quæstio quibus ex locis argumēta depromenda sint, admonet: quæstionum uis & natura diligēter & accuratè inuestigāda & cognoscenda est, ut nos eò sine errore deducant. Et quia uis quæstionis dialecticæ, ferè in eo sita est, ut quid cuiq; rei cōueniat, aut nō cōueniat sciamus (quæstio enim, ut ait Cicero, appetitio est cognitionis) quod autē cui rei cōuenire aut nō cōuenire dici potest, id in eorum quatuor aliquo est, quæ diximus: nunc quid quicq; eorum sit, definitione aperiendum est, ut posita quaq; quæstione statim cuius eorum sit, poßimus exponere.

Genus *Genus quidem est quod de multis, specie autem differentibus, in rei natura quærenda dicitur. ut animal, genus est homini: quoniam si quæratur quid sit homo, aptè animal respondebimus.*

species *Species est quod de multis quidem, sed numero tantum differentibus dicitur, in eadem quæstione, ut homo.*

Differentia *Diffe-*

rentia est, quod in multis specie etiam differẽtibus, cum quæritur quale sit, dicitur, ut rationis particeps. Definitio est oratio, quæ quid res sit breuiter explicat. Definitio

Proprium est quod omni alicui rei, eiq; soli ac semper conuenit. ut hinnire omni equo soli semperq; conuenit. Propriũ

Accidens est quod & inest rei & abest ab ea sine ipsius rei cui inest interitu. ut uirtus in homine, & nigror & cãdor in corpore sic insunt, ut ab eo sine illius interitu abesse poßint. Atque hæc quidem nunc planè definimus, pòst autem accuratiùs eadem persequemur. Hoc autem loco eorum omnium diligenter notãda distinctio est, ne, ut ferè fit, eorum similitudine fallamur. Eorum autem distinctionẽ & dißimilitudinem ex his eorũ definitionibus facile intelligere poßumus. Nam genus hoc à specie differt, quòd genus in multis specie autem differentibus intelligitur: species solũ in numero differentibus. à cæteris autem genus & species, quòd in quæstione qua quid sit quæritur: illa, in quæstione qua quale quid sit, aut quomodo sit affectũ dicitur. ut si sit homo albus, bonus, malus, paruus, magnus, quæri debet qualis sit homo. Si autem ualeat, si ægrotus sit, quomodo constitutus aut affectus sit, aut quo in statu sit quærendum est. Differentia autem à proprio distat, quòd illa uicißim retro non commeat, nec reciprocatur, & id cuius differentia est: proprium autem, & id cuius est proprium, reciprocantur. Vt si sit aliquid particeps rationis, id hominem nõ necesse est esse: At si ho- Accidens

mo sit, etiam ridens sit. & contrà, si ridens sit, etiam homo sit necesse est. Ab accidente autem differentia interest, quòd hæc nec elationem habet, nec summißionem, illud autem habet. Vt nemo est homo qui altero sit magis rationis particeps, cum sit alius alio & maior, & breuior, & melior, & deterior. Restat solum ut quæ sit proprij & accidentis dißimilitudo, exponã. Ea est permagna, quoniam proprium uni tãtum formæ ac speciei cuius est proprium, conuenit, accidens autem multis formis conuenit. Candor enim non in solo homine, sed in multis etiam alijs formis & generibus animantium reperitur, cum soli homini sit ridendi uis data. Quãquam sola ea quam definitiones declarant, satis esse potest dißimilitudo. Nam proprium semper conuenit, accidens nõ semper, cum natura sua abesse poßit, si minus re, at certè cogitatione. Atque hæ quidem distinctiones perpaucæ illæ quidẽ sunt, sed tamen eiusmodi, quæ si teneantur, statim quid horum à quoque differat, nos admonere poßint. Diligenter autem uidendum est, ne accidentis specie in quæstione fallamur. Multæ enim accidentis nõ sunt, quæ uidentur esse, quæstiones. Vt hæc, Sit'ne pallor color? Hæc enim accidentis uidetur esse, propterea quòd quæratur an color qui est accidens, pallori attribuatur, & conueniat. Atqui generis quæstio est. Quæritur enim, num pallori genus sit color. Vt autem hunc errorem uitare poßimus, hoc primum intelligendum est, eas omnes esse accidentis quæ-

ſtiones, in quibus id quod ſubiectum uocant dialectici, naturam declarabit aut cõcretam aut ſimplicem, id eſt ſubſtãtiam, & attributum eſt accidens. Deinde hoc notandum eſt, eas etiam eſſe accidentis, quarum tam ſubiectum accidens eſt quàm attributum: ſed ita, ut attributum ipſum, & rei propoſitæ conuenire & non conuenire poßit. Vt cum quæritur, poßit ne cãdor elui, aut linea diuidi, aut extremitas uideri? & ſi quæ ſunt eius generis. Nam ſi conuenire non poßit & non conuenire, non erit accidentis, cum accidentis illa ſit definitio: ſed uel generis, uel definitionis, uel proprij. Hæc enim tria ſic conueniunt rei cuius ſunt genus, definitio, & proprium, ut ſeiungi ab ea nullo modo poßint. Ex quo perſpicuum eſt, non ſi accidens in quæſtione attributum ſit, idcirco accidẽtis eſſe quæſtionem. Vtrum autẽ idem in cæteris tribus contingat, quæri poteſt. Genus quidem ſi attributũ ſit in quæſtione, ſemper ad ipſum quæſtio accõmodatur, ſi modo rei propoſitæ ſit genus. Si autẽ non ſit rei propoſitæ genus, & ſit natura aliqua, id eſt ſubſtantia. generis erit. Vt ſi quæratur, Sit ne animus corpus, generis eſt quæſtio. Ex quo hoc præceptum elicere poſſumus, Quotieſcunque quæſtionis attributum genus eſt ſubſtantiæ, ſiue ſubiectum ſit ſubſtantia, ſiue accidens, ea generis quæſtio eſt. Nam quoniã ſubſtantia nec ſubſtantiæ fortuito conuenit, nec accidenti, non erit accidentis quæſtio: non erit etiam proprij, cum proprium non in quæſtione dicatur qua quid res ſit quæri-

tur: nec definitionis, cũ definitio genus & differentias cõplectatur. Relinquitur ergo, eam ad genus esse accõmodatam. Alterum hoc est, Si attributum genus sit, nõ autem genus rei propositæ, quæ eadem substantiam non declaret, interdum generis, interdum accidẽtis erit quæstio. Generis, ut hæ, Sit'ne iustitia sciẽtia? Sit'ne perturbatio habitus? Accidẽtis, ut hæ, Possitne color uideri? Possitne color tangi? Cæterorũ autem duorum quæstiones erunt, si alterũ ex illis sit attributum. Ex definitione enim constat semper quæstio, in qua attributum definitio est: & ex proprio omnis, in qua proprium est attributum siue rei propositæ sint, siue nõ sint, propriũ & definitio. Vt si quæratur, Sit'ne uirtus habitus animi rationi consentaneus? uel, Sit'ne uirtus ratio earum rerum gerendarum quæ ad nos pertinent? hæ sunt definitionis quæstiones. quãquam in posteriore, id quod rei propositæ attribuitur, eius nõ sit definitio. Est enim definitio prudentiæ, non uirtutis omnino. Eadem est ratio proprij, quod facilè doceri potest. Duo autem quæstionum genera hic notanda sunt. Aliæ enim sunt rectæ & naturales, in quibus hæc quatuor de ijs dicuntur, quæ illis natura subiecit. ut cum genus de specie quæ ei subest dicitur. de quibus mox disseremus. Aliæ autem sunt alienæ à natura, quibus hunc ordinẽ omnem permiscere licet. Nam cum substantia nulla suapte natura ulli substantiæ accidere possit, aut genus, ei rei cui est genus, aut definitio rei quæ definitur, tamen hæc quæri

possunt. An homini animal accidat? & num homini animal rationis particeps mortale fortuito conueniat? quod perinde ualet, ac si quæramus, fieri ne poßit ut homini animalis nomen non conueniat? aut quod Cicero dicit, ut forma à genere seiungatur, id est non uerè de ea dicatur genus: quod fieri nō potest. Nam genus semper de forma si dicatur, per se dicitur. Ita non fortuito, quod dicunt per accidens. His igitur quasi elementis & notis facile cuius sit horum quatuor quæstio quacunque de re sit, poterimus internoscere. Itaque in ijs diligenter exercendi sunt pueri, ut unumquodq; quæstionum genus notum meditatúmq; habeant. Primum notare debent, quæ sint duo uerba quæstionis, ex eorúmque posteriore quod ego attributum cum Cicerone appello, alij prædicatum, quæstionem appellari uel generis, uel definitionis, uel proprij uel accidētis: prius autem uerbum quod ὑποκείμενον in enunciatione uocatur, nunquam dare ipsum quidem quæstioni nomen, sed tamen interdū id mutare. Deinde quot modis illa duo uerba inter se affici poßint in quæstione. Possunt autē duobus modis, ut dixi, & si attributa illa quatuor ad rem sibi subiectam accommodentur, qui modus naturalis est: & si ad rem alienam, quem modum à natura dixi abhorrere. Ac generis quidē, si ex eo quæstio nominetur, species cuius genus est, subiectū naturale est: definitionis, uel genus uel proprium uel accidens, quorum est propria definitio: proprij, species cuius est pro-

Attributū
Prędicatū

prium: accidentis, cætera tria. Nam & de specie tum genus tum differentia per se dicuntur, & hæc quatuor definitione declarari possunt, & accidēs eisdem quatuor conuenit, & speciei conuenit proprium. Non naturalis autem ordo dicitur, cum is, quem modo exposui, inuertitur. ut si quæratur, Sit ne perturbatio habitus? aut temperantia scientia? erit generis illa quidem, sed non naturalis quæstio. quoniam nec perturbationi habitus genus est, nec temperantiæ scientia. Eodem modo quæri potest, sit ne temperantia ratio rerū agendarum quæ nostro consilio geri possunt? Quod eodē modo de cæteris iudicandum est. Harum autem quæstionū aliæ alijs à natura magis discedunt, Vt si quæratur, Sit ne homo expers rationis? Sit ne homo natura expers corporis? hoc tam absurdum uidebitur, ut statim explodatur qui hoc quærat. Est etiam quarundam illius superioris generis tam perspicua ueritas, ut in disputationem incidere non debeant. Itaque quæ inter hæc duo genera locatæ sunt, eæ proponi debent ad disputandum. Ex quo factum est, ut quarū est præposterus ordo is quem dixi, neq; is facile internosci potest, de ijs potißimum disputetur. Sed quoniam satis multa diximus de toto & uniuerso genere quæstionum, quemadmodum unūquodque à cæteris distinguatur: nunc de singulis separatim subtiliúsq; dicēdum est. Ac primum de genere dicamus. Genus quidē diximus esse quod de multis, specie autem differentibus in quæstione quid est di-

Genus

citur. Distributur autem genus in treis partes. Aliud enim genus summũ est, aliud medium, aliud infimum. Summum est, id quo nullum est prius & antiquius, ut substantia. Infimum est, cui nullum subest, ut animal. Medium, quod & priori generi subijcitur, & posterius subiectum habet, ut corpus. Corpore enim substantia antiquior est, animal posterius. Sed hoc interest, quòd si medium genus cum priore conferatur, non genus eius, sed siue forma, siue species, siue pars uocatur: sin cum posterioribus, eorũ genus dicitur. Hoc autem loco genus tractandum est, non quatenus argumentum ex eo ducitur, sed quatenus ex eo conficitur quæstio. Quod nonnulli ignorantes, uehementer errarunt. Nam hæc quatuor de quibus omnis instituitur disputatio, & decem prima genera quæ Categoriæ uocantur, de quibus mox differemus, in locis numerãt, cum eos Aristoteles refellat, qui cũ hæc omnia primo Topicorum libro exposuerit, eodem extremo deinceps locos propositurum se pollicetur, qui ad ipsas quæstiones accommodandi erunt. Neque uero uim uerborum ijdem distinguere uidẽtur. Aliud est enim quæstio, aliud locus. Quæstio enim, ut ait Cicero, admonet, quibus utendum sit locis. Locus autem argumẽtum suppeditat, quo rem eam quæ ad disputandum proponitur, uel confirmemus, si negata sit: uel si cõcessa, refellamus. Nec leuior est eorum error, qui hoc in Aristotele reprehendunt, quòd genus & tria reliqua quæri dixerit in omni dis-

putatione, cum ab ijs argumenta sumantur. Neq; enim Aristoteles hæc quatuor uult ob eā causam in omnem disputationem incidere, quòd ea semper in omni quæstione suis nominibus appellentur: sed quòd de re nulla quæri poßit, quin in eorum aliquod cadat. Id quod supra satis demonstratū esse existimo. Nunc ad alia pergamus. Generi quidem primum attributa est differentia (id enim est quod Aristoteles γενικὴν differentiam dicit) deinde forma, ut Alexādro placet. Differentia est, quod, ut dixi, de multis, specie autem differentibus in quæstione quale quid est, dicitur. ut rationis particeps tam de homine quàm de deo dicitur, qui specie differunt, si quæratur quales sint. Differentiæ quæstio est, ut an mundus ratione utatur? quam Cicero longa tractat oratione in libro secundo de natura deorum. Differētia autem duplex est: altera, quæ speciem conficit definiēdo: altera, quæ genus in suas partes diuidit. ut speciei animalium effectrices hæ sunt duæ, animatum & sentiens. Est enim animal, natura animata sentiēs. hæ autem animaliū genus partiuntur, primum, rationis particeps, & rationis expers: deinde mortale & immortale, ut uult Porphyrius: tum uolucre, terrenum & aquatile: item hæ, bipes, quadrupes, & serpens. Animantium enim aliud est rationis particeps, aliud expers: Animātium aliud uolatile est, aliud terrenum, aliud aquatile: Itémq; aliud est bipes, aliud quadrupes, aliud serpens. Hoc autem inter hæc duo differentiarum genera in-

terest, quòd efficientes formarũ antiquiores sunt ea forma quam conficiunt: diuidentes autem ei omnes subÿciuntur. Itaque de forma effectrices eius uniuersæ dicuntur, diuidẽtium autem nulla dicitur. Sed de his cum de locis qui accommodandi sunt ad quæstiones, quibus quæritur, Sit'ne genus aliquid, differemus copiosius. Suo enim quicq; & idoneo loco tractandum est. Differẽtias, cæteráq; quorum quæstiones sunt, eatenus hoc tractamus loco, quatenus de his proponuntur quæstiones. Generi etiam, ut dixi, species attributa est, Alexãdri sententia. Nam si Aristotelis sentẽtiam spectemus, nulla speciei infimæ quidem (de ea enim loquor) quæstio uidetur esse. quippe cum eam non nominet, & nominet differentiã. Præterea cũ dialectica in θέσει, id est proposito & infinita quæstione sine certis personis, alÿsq; eiusdem generis, ut docui, uersetur: species autem nisi rebus singulis attribui non poßit: profectò dialectica esse nulla eius quæstio potest. Qui Alexãdri sententiam defendere uolet, facile hæc poterit refellere. Nam & generis nomine speciem comprehendi, cum in quæstione quid est, dicatur: & dialecticã in causis & definitis quæstionibus interdum uersari, cum enunciationes ex rebus singulis repugnantes Aristoteles ipse tradat in libro de interpretatione, & principio libri 2. Topicorum dicat esse de singulis rebus quæstiones.

Species quidẽ quid esset, iam diximus. Eius quæstionis exemplum erit eiusmodi, Sit'ne Socrates homo?

Atque etiam eæ generi attributæ sunt quæstiones, quibus comparatè aliquid de genere quæritur. Cuiusmodi hæ sunt, Sit'ne temperantia scientia, quemadmodum dialectica, an'ne aliud? & utrum animus sit harmonia, quemadmodum diapente, an aliud? His enim quæstionibus si non uerbo, at re ipsa quæritur, sit'ne scientia genus temperantiæ quemadmodum est dialecticæ, an aliud. Quod etiam de differentia & forma quæri potest. Ita generis duplex erit quæstio: una, qua quæritur simpliciter hoc modo, Sit'ne animus harmonia? altera, qua comparatè, ut, Sit'ne animus harmonia, quēadmodum Dorica, an aliud? Nam duo alia quæstionum genera, hæc, Sit'ne animal hominis genus? &, An homo sit animal? aut, An animus sit harmonia? supra dixi fusa esse per omne genus quæstionum. Atque de generis quæstione, eiq; attributis, hactenus. Definitio *autem est, ut supra dixi, oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit. Aristotelis est hæc ex primo Topicorum definitio, quam Cicero totidem uerbis in Topicis exposuit. Hoc loco dicendum non est, qui sit definiendi modus, & quot sint definitionum genera. hæc enim ad tractationem argumētorum quæ ex definitione ducuntur, pertinent. Itaque ad eum locum hæc sunt reijcienda omnia. Nunc tantum dicamus, quæ sint definitioni attributa. Definitionis quidem quæstio talis est, Sit'ne mundus animal rationis particeps? Mihi autem uidetur omnis quæ ex definitione existit quæstio, sepa-*

Definitio

ratim ad generis & differentiæ quæstionem posse reuocari. Itaque Cicero eam quam modo proposui quæstionem, in libro secundo de natura deorum tractat separatim. Quærit enim primum, Sit ne mundus animans? quæ generis est: deinde sit ne particeps rationis? quæ à differentia ducitur quæstio. Definitioni autem primum attributæ sunt quæstiones eæ, quibus an oratio sit orationis definitio quæritur, id est cũ nõ simplex uerbum, sed copulatum quod uno uerbo exprimi non potest, definitione explicatur: ut si quæratur, Sit ne animal uolatile, animal id quod natura sua in aëre cælóque libero uersatur? Deinde eæ quibus quæritur an unũ uerbum, aut duo idem ualeant quod alterum, ut si quæratur, Sit ne id honestum quod deceat? In hoc autem genere uidendum est, ut id uerbum, quod attributum appello, alij prædicatum, sit quàm subiectum & clarius & notius, ut id illustrandæ rei causa factum esse uideatur. Aliter enim à generis, & accidentis quæstionibus distare non uidebitur. Definitioni etiam subijcitur omnis quæstio quæ de eodem & alio est. Itaque hoc genus Cicero formam quandam definitionis appellat. ut si quæratur, idem ne sit temperantia & continentia? magnificentia & liberalitas? Hoc postremum quæstionis genus definitioni est illud quidem attributum, sed tamen à definitione longè multumq; distat. Neque enim si idem est hoc quod illud, idcirco eius definitio est. Attributũ

Proprium autẽ est, quod rei uim atque naturam non Propriũ

declarāt, in solóque inest, uicißimq; de re dicitur. ut ridere hominis propriū est, & artem percipere. Eius exemplum est, Solus'ne homo artem percipere potest? Solus'ne ignis sursum celerrimè fertur? Propria'ne sit hominis oratio? Hoc autem intelligendum est, oratores alióśque scriptores sæpe proprij pro differentiæ abuti nomine, ut si quæratur, Sit'ne ratio hominis propria? differentiæ erit, non proprij quæstio. Itaq; diligenter ea proprij ac differentiæ & notanda, & tenenda distinctio est, quam supra exposuimus. De proprij autē generibus idoneo loco dicemus, tū cum quēadmodum ad proprij quæstionē accommodandi erunt argumētorum loci, docēdum erit. Restat ut de accidente dicamus. Est autem accidēs, quod cadere in aliquam rem potest, & non cadere. Vt ambulare, ut sedere, ut discere, ut docere. Qui enim ambulat, nō ambulare potest: & qui non ambulat, ambulare. Hoc autem intelligendum est, dummodo natura non conueniat. Calor enim ignis accidens est, cum interea in eum non poßit non conuenire. Itaque hoc, uocant accidens inseparabile: illud autem, separabile. Accidentis autem duplex est quæstio. Nam aut simpliciter aliquid quæritur, ut, Sit'ne bonum expetēdum: aut comparatè, hoc modo, Sit'ne id quod honestum est magis expetendum, an quod utile? Atque hæc quidē quæstio latißimè patet. Complectitur enim omneis rerum inter se comparationes. quæ quia ferè in disputationem incidunt, in hoc genere multum uersan-

Accidēs

dum est. Ac de iis quatuor quaestionibus, iisq; quae illis attributa sunt, diximus. Intelligendum est autem & superiores quaestionum partitiones omneis ad hanc postremam, & hanc postremã ad illas esse reuocandam. Vt enim quaestio omnis & quae cognitionis est, et quae actionis, & quae adiumentum ad illas affert, aut generis, aut definitionis, aut proprii, aut accidentis est: sic uicissim omnis quae generis, quae definitionis, quae proprii & accidentis, uel cognitionis est, uel actionis, uel ad illas adiumentum affert. Quod de illa partitione qua quaestio diuisa est in θέσιν & ὑπόθεσιν, id est quaestionem infinitam & definitam, iudicandum est eodem modo. Omnis enim quaestio quae horũ quatuor est, generis dico, definitionis, proprii, et accidentis, aut infinita est, aut definita. quãquam definita, quae singularis uocatur, raro in disputationẽ incidit. Hae autem omnes rursus in decem alia genera tribuuntur. Quicquid enim quaeritur, id uel naturam atque substantiam declarat, uel quantitatem, uel relationẽ, uel qualitatem, uel facere, uel pati, uel locum, uel tẽpus, uel situm, uel integumentum. Substantiã quidẽ, ut si quaeratur, Sit'ne animus natura corporea, aut omnino natura & substantia? Quantitatẽ, ut Sit'ne sol maior terra? Relationem, ut Sit'ne dimidium dupli dimidium? aut num magnus mons ex minore magnus intelligatur? Qualitatem, ut Sit'ne mundus rotundus? sit'ne ars dialectica? Facere, ut, Cernamus'ne emittendo aliquid? Satis'ne habeat praesidii uirtus ad

bene uiuẽdum? Pati, ut an uideamus aliquid recipiendo? Sit'ne mundus interiturus? Locũ, ut Sintne animantia in igne uiuẽtia? Sintne animãtes qui partim in aquis, partim in terra uiuant? Sintne alicubi hippocentauri, satyri, sphinges? Tẽpus, ut Sit'ne aurora, apta studijs? aut nox ad quietem, dies ad laborẽ hominibus datus? Situm, ut Solus'ne homo rectus est? Solus'ne sedet? an alia etiam animantia? Integumentum, ut, præstat'ne hyeme pellibus uestiri, an lana tantum? Sint'ne aliqui homines uillis tecti ut bestiæ? Atque hæc exempla quædam sunt horum decem generum: ex quibus intelligi licet, quàm sit hæc Categoriarũ decẽ disciplina utilis. Nihil enim omnino quæri potest, quin ab horum aliquo quasi fonte sit hauriendum. Et quoniam multi hãc totam disciplinam, ut minus necessariam, atq; adeo inutilẽ contẽnunt atq; improbãt, quòd eius usum ignorẽt, omnem diligentiam adhibere institui, ut eius utilitas intelligatur. Illud igitur intelligẽdum est, in has decem quæstiones superiores quatuor incurrere: ita tamen, ut nulla horum sit præterquã accidentis quæstio, quæ non generũ decẽ esse poßit. Nã & genera in ijs omnibus sunt, & differẽtiæ, et species, & propria, et definitione omnia explicari possunt. Accidentis autem quæstio in substantia nulla est, quòd substantia substantiæ, ut iam dixi, fortuito non conueniat, ut accidens, sed per se & natura sua. In cæterã nouem incidit accidentis quæstio. Quod nemini mirum uidebitur, horum decem uim atq;

naturam consyderanti. κατηγορεῖσθαι enim, unde nomen κατηγορίας ductum est, quasi καταγορεύεσθαι dicitur. Est autem ἀγορεύεσθαι dici, & appellari: dici autem & appellari nihil potest ullo nomine, nisi id nomen sit tertium uerbum enunciationis, quod alicui conueniat: ut, hic appellatur Cicero, ille est Plato. Ita fit, ut liber cum inscriptus sit Categoriæ, profiteatur disciplinam eorum omnium quæ cuiq; rei attribui & conuenire poßint. Quanquam me non fugit uerbum hoc κατηγορεῖσθαι à foro trāslatum uideri ad dialecticos, unde κατηγορίας nomen sit ductū, quod Porphyrio placet. Quòd si hæc decem genera de omnibus rebus ita dicuntur, ut nihil quæri poßit quod in eorum aliquod nō cadat, omnis certè quæ ab ijs proficiscetur quæstio, eius esse dicetur, cuius fuerit attributum. Si enim attributum in categoria substantiæ collocatū sit, substantiæ ac naturæ quæstio erit: si in qualitatis categoria, qualitatis: itémq; in cæteris. Quæ cum ita sint, non mirū est in substantiæ Categoria accidētis nullam esse quæstionem, cū & in omni accidentis quæstione accidens, & in omni naturæ quæstione natura siue substantia sit attributum. Quod certe de uera & naturali substantiæ quæstione intelligi debet, quēadmodū antè dictū est. Quæri enim potest, fortuitò ne substantia substantiæ conueniat. ut poßit'ne homo desinere esse animal, aut rationis particeps? Accidens enim definitum est esse id quod conuenire potest & non conuenire. Posita autem quæstione

Categorie

primum uidendum est, sit'ne generis, definitionis, proprij, aut accidentis. deinde ubi inuenerimus cuius sit, quærendum erit, in quo horum decẽ sit collocata. Hoc quemadmodum inuenire poßimus, exposui. Sed hoc in loco existit quæstio, quo in genere quæstio differentiæ, proprij, definitionisq; collocabitur. Alexandro quidem placet in eo esse in quo res est cuius differentia, propriũ & definitio explicetur. Si enim substantiæ quæretur differentia, quæstio illa adhibebitur ad substantiam: si qualitatis, ad qualitatem: eodémq; modo de cæteris iudicandum est. Alij autem sunt, qui proprium ad qualitatem putant pertinere. Sed difficilior alia ex hac nata quæstio est. Neq; enim definitio, & propria multa quæ sunt non simplicia uerba, sed copulata, ad ullum horum decem elementorum uidẽtur pertinere. Si enim coniuncta uerba in his nulla numerantur, definitio autẽ omnis coniuncta uerba complectitur, certè nulla definitio ad horum ullum pertinebit. Nulla autem uerba coniuncta et copulata ad hæc pertinere, hinc sciri potest, quòd Aristoteles ipse initio libri qui Categoriæ inscript⁹ est, solis uerbis simplicibus uult hæc decem declarari. Non alienum puto, argumentis dialecticorum more aliquid cõfirmare, aut refellere, quò & facilius pueri differere ipsi poßint, & habeant de quo & quemadmodum disputent. Scio equidem multis impeditam hanc uideri quæstionẽ propter locos duos Aristotelis qui pugnare uidentur: quorum alter positus est in categorijs, alter in

primo Topicorum libro. Quò libentius quid de ea sentiam, explicabo. In primo Topicorum Aristoteles ita apertè definitionem in his decem reponẽdam esse dicit, ut nemo posit negare. Itaque uidendum est dilıgẽter, quæ sit alterius illius loci sentẽtia. Mihi quidẽ uidetur Aristoteles de ijs copulatis uerbis loqui principio categoriarum, quæ non unum quid, sed multa efficiant atq; declarent. Quod illius auctoritate confirmari potest. Nam si enunciatio est, eius sentẽtia omnis oratio, in qua definitio enunciatur: omnis autem enunciatio ex aliquo aut ex aliquibus horum decem constat: certè eiusdem sententia definitio in eorũ decem aliquo sit necesse est. Atque hoc ille in libro de interpretatione cõfirmat his uerbis, Sed quoniam alia coniũcta & copulata sic dicuntur, ut unum fiat κατηγόρημα, id est attributum, ex ijs quæ separatim dicuntur, alia non: quæ hoc loco distinctio & dissimilitudo est? quærat aliquis. Nam & animal de homine separatim uerè dicitur, & bipes separatim: atque ea pro uno habentur. Item homo & albus quæ eadem unum sunt. Si homo & bipes, unum fiunt, ut uolunt, κατηγόρημα: κατηγόρημα autem & κατηγορία idem ualẽt: profectò totũ hoc, homobipes, in aliqua sit categoria necesse est. Sin minus, multa erũt genera quæ ad nullum horum decem pertinebunt. cuiusmodi sunt quæ uno nomine exprimi non possunt. Iã uero cum enunciatio omnis cuius attributum est definitio, sit dialectica, ut placet Aristoteli, absurdũ est enũ-

ciationem esse aliquam dialecticam, cuius attributum nõ ad decem illa rerum attributa referatur. Quinetiam isto pacto fiet, ut uerbũ unum non satis latinum, si duobus aut tribus idem efficientibus exprimatur, à decem his rerum attributis hac sola mutatione excludatur: quo nihil esse potest absurdius. Si enim ij qui rationalis uerbo utuntur, ipsum in natura esse sicuti est, confirmẽt: cur non etiam hoc totum, rationis particeps, quod idem ualet, in eodẽ genere reponent? Hoc igitur confirmandum & tenẽdum est, definitionẽ & proprium multis uerbis explicatũ, ad aliquod horum decẽ pertinere: idq; ob eam causam maximè, quòd pro uno uerbo habentur, cum unum declarent. Nec uero si qua duo uerba unam rem declarent, propterea ad unam categoriam referẽda sunt. Nam hoc totũ homo albus, & similia, unam rem significant: cum interea nõ ad unum genus, sed ad multa pertineant. Sed de his hactenus. Nunc de singulis his generibus dicendum est. Substantia est duplex. Vna, quæ propriè substantia dicitur, uocaturq; prima. Altera secũdo loco substãtia & impropriè uocatur. Substantia quæ propriè & primum uocatur, est ea quæ nec de subiecto ullo dicitur, nec in subiecto ullo inest. Dici autem de subiecto est in multis intelligi una eadẽq; significatione, ut animal de homine, & boue, alijsq; animantium generibus, homo de Cicerone, & Socrate, alijsq; singulis hominibus, una significatione dicitur: at Socrates de nullo alio, nisi de Socrate dici-

tur. Inesse autem subiecto est aliud nihil, nisi sic inesse in re aliqua, ut non sit pars eius, nec ab ea separari seiungiq; poßit. ueluti dialectica sic in animo inest, ut non sit eius pars, nec ab eo seiungi queat. Dialectica enim sine animo constare nullo modo potest. Ex quo perspicuum est, omne quod in subiecto inest, esse accidens. Ita hæc posterior pars primam substantiam ab accidente distinguit, prior autem à secundis substantijs. Secundæ enim substantiæ de subiecto dicuntur. Sunt enim secũdæ substantiæ, quæ de subiecto dicũtur, nec in subiecto ullo insunt. Cuiusmodi sunt genera & species huius categoriæ. ut corpus, ut animal, ut homo, ut equus. Sed quæret aliquis, cur tu res singulas primas naturas uocas, genera autem & formas secundas substantias? cum potius hæ primæ, illæ secundæ appellari debeant? Quæ enim ratione intelliguntur, ea priora sunt. Si igitur genera & species sola ratione intelligantur, res autem singulæ sensu percipiantur: profectò illis potius dabitur principatus. Ad hoc respondẽdum est, aliquid esse prius duobus modis: uno, cum prius naturæ ordine: altero, cum prius ratione & sententia nostra, id est ordine eo quo res intelligimus, dicitur. Non est autem dubium, quin primum res eæ quæ sub sensum cadũt, percipiantur & cognoscantur à nobis: deinde eæ quæ ratione intelliguntur. Ita cum hoc in libro de uerbis ijs sit disserẽdum, quæ aliquid significãt, & primũ imposita sint ijs rebus, quæ à nobis primum cognoscuntur: or-

dinem illum nostrum intelligendi secutus, primas naturas uocaui res singulas: secundas eas, quæ non sensu, sed intelligentia continentur. Sed quàm latè pateat hæc categoria, uidēdum est, ut quæ res ex ea ad disputādum & quærendum depromi possint intelligamus. Quoniā natura siue essentia, siue substantia omnis huic categoriæ attributa est, ut certū quid habeamus de quo disputetur, omnium naturarū genera quæ sint, intelligendum est. Naturarum autem siue essentiarum duo sunt genera prima: unum earū, quæ cerni tangi'ue possunt: alterum earum, quæ sola ratione intelliguntur. Secundi generis partes paucæ sunt. Solus enim deus, soli angeli, & animi hominum hoc genere continentur. Illius autem primi numerus est infinitior. Earum enim naturarum quæ cerni tangi'ue possunt, aliæ animatæ sunt, ut arbores, ut frutices, ut herbæ, ut cuncta animātia: inanimæ aliæ, ut lapides, & omnia quæ è terra eruuntur. Hæc duo genera rursus in partes distribui solent. Nam & naturarum quæ animo prædita sunt, quibusdam sensus à natura datus est, quibusdam non est datus. ut datus est animantibus, negatus arboribus, fruticibus & herbis: & earū quæ inanimæ sunt, multa sunt genera, ut lapides, ut quæ metalla nominantur. Rursus naturæ sentientes aliæ rationis sunt participes, ut homo: aliæ eius expertes, ut bestiæ, quarum sunt innumerabilia pene genera. Nam hominum unum est modo genus, ut generis pro specie, oratorū more, nomine abutamur.

Hic igitur resistendum est, quòd iam nulla rerum genera reliqua sint, sed solæ res singulæ, quas nos primas substantias nocauimus. Hæc nos genera in suas quodque partes quoad potuimus, diuisimus, quò facilius omnia quæ ex hac categoria elici poßint ad disputandum, cognosci poßent. Et quanquam illud primum genus satis eße potuisset, alias res cerni poße, alias ratione sola intelligi, tamen hoc libentius ea in suas partes distribuimus, quòd genera & species & differentiæ quæ ad hunc locum pertinent, intelligi minimè potuissent. Alio etiam modo hæc distribui licet, ut naturas alias corporeas dicamus esse, alias expertes corporis: corporeas quasdam simplici corpore, quasdam concreto: simplici corpore præditas, ut ignem, ut aërem, ut aquã, ut terram: concreto ex his, eas omnes quæ in terra sint, quæ in aqua, quæ in aëre, quæ in igne & cælo. Sed quò hæc facilius perspici poßint, in tabula quadam ea proponi & describi est melius.

SVBSTANTIA SIVE NATVRA.

Corporea		Expers corporis
	Corpus	
Animatum		Inanime
	Corpus animatum	
Sentiens		Non sentiens
Rationis particeps	Corpus sentiens siue animal	Rationis expers
	Rationis particeps homo.	

In hac tabula quædã quasi arbor descripta est, cu-

ius rāmi diffuſi ſunt in utramque partem. Quæ in medio locata ſunt, genera: quæ in utraque parte, differentiæ nominantur. Atque hic quidem rerum deſcriptus ordo obſeruandus & notandus eſt. Magnum enim ad id de quo agitur, affert adiumētum. Nam & propoſita de quaque natura quæſtione facilè quid reſpondendum erit, intelligemus: & quæuis enunciatio ſit'ne uera, an falſa, iudicabimus. Sed de his poſterius dicendum erit. Nunc ſatis eſt intelligi, quæ res huic Categoriæ ſint attributæ. Res enim omnes quæ per ſe conſtant, cernique & non cerni poſſunt, eâ continentur. Itaque Deus huc pertinet: ut ſi quæratur, Sit'ne Deus expers corporis? & animus, ut ſi quæratur, Sit'ne animus immortalis? Quocirca non ſunt audiendi, qui deum ab hoc genere excludunt. Etenim ſi dei nomen in enunciatione & quæſtione dialectica collocari poteſt, certè ad aliquod horum decem capitum & quaſi elementorum pertineat neceſſe eſt. Dei autem nomen in enūciatione dialectica collocari poſſe hinc intelligi poteſt, quòd ipſum Ariſtoteles in ſecundo Topicorum libro collocat. Hanc enim quæſtionem ponit, Deus'ne iniuriam faciat? Nec uideo cur forma ex qua omnes naturæ conſtant, ei ſubiici non poſſit, ſi modo animus huc referri debeat. Quòd ſi ut animus, ſic forma in hoc genere reponi debet, cur nō etiam materia? An quia ſubiectum eſſe non poteſt? At qualitas, quæ niſi in re conſtare non poteſt, ſubiectum interdum eſt, ut in hac enū-

ciatione, Grammatica est scientia. An quia non est res quæ per se constat, quod suppositum appellant? At isto modo, nec genera, nec species, nec substantiarum partes, ut brachia, ut manus, & cæteræ eius generis, cum per se non constent, ad hanc Categoriam pertinebunt. Deum igitur & animum, & formam, & materiam in hoc genere collocemus: præsertim cũ de his omnibus quæri multa poßint, quæ adimi non debeãt dialecticæ, quam de rebus omnibus disserendi rationem Aristotelem secuti definitione explicauimus. Nam qui deum propterea esse in substantiæ Categoria negant, quòd in deum accidẽs cadere nullum potest, ij non satis perspexisse uidentur Aristotelis sententiam. Is enim & de deo quæri à Dialecticis uult quædam, ut iam docui, & ipsum expertem esse omnis mutationis docet. Cum igitur deũ in hoc genere reponit, non hoc uult, aut ad eum aliquid accedere, aut ab eo decedere: sed modo quodã quem exprimere non poßimus, ei conuenire quæ aliarum Categoriarum sint propria, ut uirtutem, ut numerũ, ut actionem. Quoniam quæ res subiectæ sint huic Categoriæ dictum est, sequitur ut quot quæstionum genera ex ijs existere & quemadmodum ab alijs internosci poßint, dicendum esse uideatur. Cum autem genera quæstionum dico, genera illa quatuor dico, quæ dialectico dixi proposita esse sola ad disputãdum. Generis quidẽ, definitionis, & proprij in hoc genere tractari quæstio potest. Generis, ut si quæratur, Sit ne ma-

teria substantia? aut, Sit ne animus immortalis? prior enim generis est, posterior differentiæ, quæ generi attributa est. Definitionis hæc sunt exẽpla, Sit ne sol animal rationis particeps? Proprij, hæc, Sit ne hominis solius loqui? Accidentis autem quæstio ex hoc genere nulla est, quemadmodum supra docui, nisi sit à natura aliena, ut si quæratur, Sit ne homini aduẽtitius animus? possit ne homo esse & carere ratione? possit ne materia forma carere? Has quidẽ quæstiones, à natura abhorrentes cũ Alexandro uoco: illas, naturales. Naturæ autẽ quæstiones omnes siue genus quæratur, siue differẽtia, siue definitio, siue propriũ, à cæteris distingui poterũt duobus modis. Nam si sit generis, attributum: sin reliquorũ, subiectũ ad hoc genus pertinebit. Quanquã hoc simplex & unũ præceptũ est. Diximus enim & differentiam, & definitionem, & propriũ ad eandem Categoriam pertinere ad quã ea quorũ sunt differẽtia, definitio, & propriũ. Ita ex attributis quæstio naturæ intelligenda est: ut si huius Categoriæ sit attributũ, naturæ essentiæq; sit quæstio. Sed de substãtia hactenus.

Quantitas

Sequitur Quantitas, cuius duo sunt genera. Est enim deiuncta quantitas alia, alia continuata. Deiuncta ea est, cuius partes nullo certo termino cohærent, ut numerus, ut tempus, ut oratio. Numeri enim, exẽpli gratia, ternionis, partes, quæ sunt duo & unum, aut tres uniones, nullo inter se nodo & quasi uinculo colligatæ sunt, sed omnino separatæ. Continuata autem

ea dicitur, cuius partes cõmuni termino cõiunctæ ſunt, ut linea, ut extremitas, ut corpus. Lineæ enim partes cum puncto, extremitatis cum linea, & corporis cum extremitate cohærent. In priore genere (ut hæc ad rem accommodem) rei multitudo, in poſteriore magnitudo quæritur. Et priori generi numeri omnes ſubiecti ſunt, uoceſque omnes: poſteriori magnitudines. Ita quæ quatuor artes præſtantiſsimæ tractant, arithmetica, muſica, geometria & aſtrologia, omnia hæc Categoria continet. Quicquid autem per ſe magnum eſt, aut linea eſt, aut extremitas ſiue ſuperficies, aut corpus, aut locus, aut tempus. Linea eſt longitudo in qua nulla ſit latitudo, nec craſsitudo. Extremitas ſiue libramentum, magnitudo craſsitudine carens. Corpus, magnitudo in qua ſit lõgitudo, latitudo, & craſsitudo. Vnumquodq; horum multas in partes diſtribuitur. Nam & linea longa ac breuis dicitur: & extremitas lõga ac breuis, lata, anguſta: & corpus longum aut magnum, breue aut paruum, aut exiguum, latum, anguſtum, craſſum, gracile aut exile aut rarũ. Atq; hæc quidem nomina ſunt incertæ magnitudinis. Certæ autẽ ſequuntur. Corpus longum pedes, aut cubitos, aut digitos, aut paſſus. Quæ non ſunt hoc loco enumeranda omnia: tantum intelligi ſatis eſt, hæc ipſa & ſimilia, hoc magnitudinis genere contineri. Numerus etiam multa genera cõplectitur. Alius enim multus eſt, alius paruus aut paucus: alius par, alius impar dicitur: alius perfectus,

Linea
Extremitas
Corpus
Numerus

alius imperfectus. Atq; hic quidem incertus est. Certus nnmerus est, ut unum, duo, tria, quatuor, & quæ sequuntur, qui cardinalis: primus, secundus, tertius, qui ordinalis: uni, bini, terni, quaterni, qui distributiuus: simplex, duplex, triplex, siue simplus, duplus triplus, quadruplus, qui multiplicatiuus dicitur. Quæstiones autem ex his infinitæ possunt existere, quas ex attributo spectare debemus. Si enim aliquod multitudinis aut magnitudinis nomen sit in quæstionis attributo, ad hoc genus pertinebit. ut si quæratur, Sit'ne unus mundus, an plures? Sit'ne unus deus, an plures? Sint'ne nouem cæli? hæ enim sunt multitudinis. Magnitudinis autem hæ, Sit'ne sol maior terra? Sit'ne orbis lunæ minimus omnium? Oratio quæ index & interpres animi dicitur, quæq; in uoce est, ad deiunctā quantitatem, & locus atque tempus ad continuatam refertur. Sed diligenter, ne Categorias confundamus atque permisceamus, uidendum est. Sunt enim permulta uerba quæ ad multas pertinent, ut locus & ad hanc, & ad eam quæ locus proprio nomine uocatur, refertur: itemq; simplum & duplum, tum huic attribuitur, tum ijs quæ cum aliquo comparantur: sed alia atque alia ratione & sententia. Nam locus eatenus ad hanc pertinet, quatenus interuallum locorum exquiritur, ut si quæratur, an absit lõgius à nobis sol, quàm luna? ad eam autem quæ communi loci nomine appellatur, eatenus pertinet, quatenus ubi fieri, aut esse aliquid dicatur, quærimus. ut si quæ-

Oro

ratur, Sintne hirundines hyeme in Gallia? aut aliquid eiusdẽ generis. Eodem modo tum deniq; duplum simplum & similia hic spectantur, cum rei multiplex ratio quæritur: ut si quæratur, Sit ne triplex dicendi genus? hoc enim nihil aliud ualet quàm si quæratur, An sint tria genera dicendi. In ijs autem quæ cum aliquo conferuntur, hæc eadem uersantur, quoties quæ sit numerorum inter se proportio quærimur. Itaque Categoriarum uis & natura probè noscenda est, ne quo errore ducamur. Huius quidem ea uis est & natura, ut partes rerum quæ ei attributæ sunt, cum aliquo termino copulentur, uel non copulentur. Est enim duplex, ut dixi, quantitas: una continuata, cuius sunt quinq; genera, linea, extremitas, corpus, locus, & tempus: altera deiuncta, quæ in duas parteis distributa est, in numerum & orationem. Quantitatis etiam alia partitio est. Alia enim constat ex partibus, quæ situm certum habent, cuius sunt genera quatuor, linea, extremitas, corpus, & locus: Alia constat ex partibus quæ situm nõ habent, cuius genera tria sunt, numerus, tẽpus & oratio. Nam horum partes ubi sitæ sint, nemo explicare potest, quandoquidem orationis & temporis partes continenter fluunt atque labuntur: numeri autem partes, etsi non fluunt, tamen nusquã sitæ sunt. Numeri tamen & temporis partes ordine constant, ut unũ antecedit duo, & tria quatuor. itémq; præteritum tẽpus præsens antecedit: & hoc, futurum. Illorum autem partes sitæ

ſunt, ut propoſito corpore, ubi quæq; pars eius ſita ſit, oſtendi poteſt. Hoc autẽ intelligendum eſt, ea ſola quæ adhuc cõmemorata ſunt à nobis, per ſe ac ui ſua quãta eſſe, reliqua omnia eorum interuentu quanta dici. Cum enim duos homines eſſe dico, propter duo dico: cũ laborẽ diuturnũ dico, multũ tẽporis interiectũ eſſe ſignifico. Eadẽ eſt ratio cæterorum. In hac autem Categoria eorũ quatuor quæ ſolent quæri, quæſtiones eſſe poſſunt: Generis, ut ſi quæratur, Sit'ne tẽpus numerus? Definitionis, ut ſit'ne tẽpus numerus motus, priori ac poſteriori reſpõdẽs? ſit'ne numerus unionũ multitudo? Proprij, ut ſi quæratur, an ſola quãtitas ſit æqualis aut inæqualis? Accidẽtis hmõi exẽpla ſunt, ſit'ne tẽpus æternũ? Sit'ne ſol bipedalis, ut uidetur eſſe? Sit'ne luna minor terra?

Qualitas autem uocatur, ex qua quales, ut albi, ut nigri, & alio modo, aliqui nominantur. Eius genera ſunt quatuor prima, quæ inuenta ſunt. Vnum, habitus & affectio: alterum naturalis uis ad aliquid facile gerendum, aut non patiendum, aut contra ad eadem imbecillitas: tertiũ genus conficiunt patibiles qualitates & perturbationes: quartum figura & forma. De quibus nobis ſingulatim dicendũ eſt. Habitus, qualitas eſt ſtabilis & permanens, quæ niſi ægrè euelli non poteſt. ut uirtus, ut uitium, ut ſcientiæ omnes & artes. Affectio autẽ, qualitas eſt quædam imbecilla, quæ facilè euelli & extirpari poteſt. ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, & ſi qua ſunt generis eiuſ-

dem. Interdum affectio latius patet, ut habitus etiam cõplectatur. Afficimur enim & uitijs & uirtutibus. Itaque habitum licet definire adhibito uiciniore genere affectionis. Affectioni autem quæ contraria ex parte qualitatem partitur, quædam subiecta sunt, quæ ad naturam habitus temporis diuturnitate transferri possunt, cuiusmodi sunt morbus & ualetudo. morbi enim quidam, nisi celeriter curentur, aut si negligantur, eas radices agunt in corporibus, ut uix aut ne uix quidem expelli curariq; poßint. Itemq; scientiæ, artes, & uirtutes quas in habituum numerum ascripsimus, primum affectiones modò sunt: deinde cum lõgo usu & exercitatione constitutæ confirmatæq; sunt, habitus nomen & uim obtinent. Alterum genus qualitatis uim naturalem ad aliquid faciẽdum aut nõ patiendum, & ad eadẽ imbecillitatem nominaui. Hoc à superiore distat, quòd illud aliquid aduentitium, & assumptum dicit: hoc, insitum & innatum. Naturalis enim uis, est quædã insita nobis aut innata potius qualitas, qua apti sumus ad aliquid agendum, non patiendum, aut accipiẽdum. ad aliquid agẽdum, ut bellicosi ad pugnandum, pugiles ad cæstibus contundendum, athletæ ad certandum, cursores ad cursum: ad non patiendum, ut ualentes dicuntur ij qui facile resistere possunt ijs omnibus quæ extrinsecus occurrunt. Et dura illa dicuntur, quæ possunt impedire, quominus facile secari & diuidi poßint: Ad accipiendum, ut omnes homines aptos

Valentes

Dura

Imbecilli

Teneru

Molle

animos habent ad percipiendas & uirtutes & scientias. Ex contrario definiuntur ij qui hæc ipsa adiumenta à natura non habent. Vt enim sunt qui natura ualent ad cursum, sic sunt nõnulli qui nõ ualent. Imbecilli etiã sunt ij qui natura nihil ualent ad facile obsistendũ impulsionibus quæ extrinsecus incidunt, ut ij qui ad morbos procliues sunt. Tenerum & molle id est, quod non habet uim naturalem impedientem quo minus diuidatur. Intelligendum est autem ea omnia quæ ui naturali prædita sunt ad aliquid agendum, eo ipso imbecillitate earum rerum carere: ut qui ualet uiribus ad luctãdum, ei uiriũ negata imbecillitas est. Tertium qualitatis genus patibiles qualitates ac perturbationes efficere diximus. Patibiles autem qualitates dicuntur eæ, quæ uel sensum mouent, uel à perturbationibus ortæ sunt. Duo enim sunt patibilium qualitatum genera. Aliæ enim ob eam causam patibiles qualitates dicuntur, quòd sensus ipsos afficiunt & mouent, cuiusmodi sunt sapores, odores, soni ac modi, & quæ tactu percipiuntur qualitates. Aliæ autem eo dicuntur patibiles, quòd ortum habẽt ab affectionibus quæ uix tolli possunt, in quo genere colores sunt stabiles & diuturni, corporisque ac animi perturbationes generis eiusdem. Nam quæ perturbationes ut cito nascuntur, sic celeriter occidũt, cuiusmodi est pallor ex metu natus, & rubor ex pudore, eas qualitates dici Aristoteli non placet. Quanquam non uideo cur eijcere poßimus pallorem

qui ex metu ortus sit, & alia eiusdem generis, à qualitatis finibus, quin eijciamus etiam affectiones. Quam enim rationem ad habitus affectiones habent, eandem habent etiam repẽtini motus ad diuturnos & permanentes: nec frigus aut calor interdum diutius quàm repentina ira, pallórue durat. Aut igitur utrunq; retinẽdũ est, aut utrunque repudiandum: nisi fortè Aristoteles de ea perturbatione loquatur quæ duret ad pũctum temporis. De patibilibus qualitatibus satis multa dicta sunt. Perturbationes autem eæ alteram huius tertij generis partem efficere uidentur, quæ ex repentinis subitisq; nascuntur: ueluti cum repente aliquis irascitur, cõsuetudine adhibita iracundus efficitur, quod etiam in cæteris contingit. Illud autem notandum est, quod in superiore Categoria admonui, easdem res eademq; uocabula multis Categorijs esse attributa, alia atque alia ratione atque cogitatione. Quod in hac est multo etiam euidentius. Nam cum tria adhuc eius genera exposuerimus, tamen easdem res eadémq; uerba in duorũ numerum ascripta esse animaduerti potuit: quippe cũ calorẽ & frigus tum primo generi subiecerimus, tũ tertio. Sed primo generi ea attributa sunt, quòd facile tolli euelliq; poßint: huic autem, quòd sensum moueant. Vt autem dixi hoc interesse inter habitum, & uim naturalem, quòd habitus assumptus est, industriáq; & studio nostro eget: uis autem naturalis, innata & insita est: sic patibilis qualitas, & perturbatio affecta est ad

uim naturalem. Hæ enim sine industria, & opera hominis constare non possunt. Reliquum est quartũ genus qualitatis. Hoc efficiunt, ut dixi, figura & forma. Est autem figura, una aut multis lineis comprehensa qualitas: ut triangulum, tribus constat, quadratũ, quatuor. Forma uero, apta est quædam compositio uel mẽbrorum ut in animantibus: uel partiũ, ut in mutis rebus, ex qua res pulchræ & formosæ nominantur. Alia etiã subiecta sunt huic generi, ut rectum, obliquũ, & si qua sunt talia. Sed uidendum est diligenter, ne quo hic errore labamur. Sunt enim multæ res quæ uidentur esse huic Categoriæ attributæ, nec sunt, & quæ ad alias & ad hanc pertinẽt. In quo genere sunt crassa & tenuia, læuia & aspera quæ ad situm pertinent, cum ad qualitatem pertinere uideantur. Id quod ex definitionibus intelligi licet. Crassa enim ea sunt, quorum partes propè cohærent. Tenuia, quorum partes distractæ distantesque sunt. Læuia ea, quorum partes in rectum directæ sunt quodammodo. Aspera, quorum partes aliæ eminent, aliæq; superãtur. Hæ autem definitiones situs rationem uimq; continent. Contrà sunt quædã quæ huius sunt Categoriæ propria, cum interea quantitatis uideantur esse, ut rectitudo, & obliquitas. Nam cum linea in qualitatis numero à nobis reposita sit, & differentiam dixerimus ad eandem Categoriam pertinere ad quam genus, illa duo ad quantitatem referenda uidentur, quæ lineæ uideantur esse differentiæ. Nam li-

nearum alia recta est, alia obliqua. Sed hæc subiecti in accidentia, non generis in differentias, partitio est. Nam si quis roget qualis sit linea, aptè & propriè rectã aut obliquã esse respondebimus. Quòd si quantitatis esset, quanta esset, quæri oporteret. Atque hæc quidem quatuor genera sunt qualitatis. Cum autem eorum omnium tũ uel maximè primi generis uis & natura tenẽda & cognoscenda est. Nam cum de expetendis & fugiẽdis rebus, de æquo & iniquo, disputare ferè omnes soleãt, hæc in eo genere latẽt omnia. Quæstiones autem eorum quatuor quæ in omni quæstione, ut dixi, tractari solent, in hac etiam Categoria existunt. Nam & genus quæri potest, ut, An sint uirtutes scientiæ? Sit ne continentia uirtus? & differentia, ut si quæratur, Sit ne uirtus uoluntaria? & definitio, ut, An perturbatio sit habitus uoluntarius à ratione auersus? &, Sit ne continentia uirtus quæ uoluptates gustatus & tactus cõprimat? & proprium, ut, Solà ne uirtus eum in quo est bonum efficit? Solà ne temperantia libidinem uincit? Sit ne solius sapientis prouidere res futuras? Sed accidentis maximè tritæ sunt & usitatæ quæstiones, eæq; duplices. Nam & simpliciter quæritur, Sit ne uoluptas expetẽda? Sit ne expetenda gloria? & comparatè, ut si quæratur, Sit ne magis expetenda prudentia quàm iustitia? Horum quatuor quæstiones internosci poterunt eodem modo, quo in quantitatis Categoria præscripsi.

Ea autem cum aliquo conferuntur, quorum uis &

natura omnis idem est quod ad aliquid affectum esse quodammodo: ut pater & filius, dominus & seruus, uir & uxor, gener & socer. Horum enim omnium uis & natura ad aliud refertur. Nam & pater quicquid est, id filij est: & cōtrà, quicquid est filius, id patris proprium est. Vt enim pater, filij pater est: sic filius, patris est filius. Quod in cæteris omnibus contingit. Gener enim intelligi non potest, nisi cum socero, nec uir siue maritus nisi cum uxore conferatur. Huic generi subiecta sunt cognationū, affinitatum, contractuūq; nomina: cognationum, & affinitatum, ut pater filius, uir uxor, gener socer: contractuum, ut uenditio & emptio, locatum & conductum, datum & acceptum, commodatum sumptum, & siqua sunt eiusdem generis. Quædam etiam numerorum nomina huc referūtur, ut simplum, duplum. Quædam nomina usitata nō sunt, ut sesquitertium in usu est, quod ei respondeat non est. Raræ autem ex hoc genere existunt quæstiones, duntaxat dialecticæ. Generis hæc erit, Sit'ne triplum multiplum? Sit'ne genus in ijs quæ cum aliquo conferūtur? Definitionis, ut si quæratur, An sit genus id quod de multis, specie autem differentibus in naturæ quæstione dicitur? Proprij, ut, Soláne ea quæ cum aliquo conferūtur eiusmodi sunt, ut eorū neutrum sine altero cognosci possit? Accidentis, hæ, An sex sint dupla? An homo sit pater? In his autem omnibus semper attributū huic Categoriæ subijci debet, quemadmodum in alijs de-

monstrauimus. Ac superior quidem definitio eorum quæ cum aliquo conferuntur, huius Categoriæ est propria. Altera autem quæ Platonis dicitur esse, omnia omnium Categoriarum, præterquam substantiæ, nomina complectitur. Ea enim cum aliquo dicebat conferri, quorum uis & natura alterius esset, aut quæ quoquo modo cum alio conferrentur.

Reliquæ sunt nobis Categoriæ sex, quarum quatuor ut facere, pati, situm esse, & habere, uerbis modi infiniti illæ quidem exprimuntur, sed tamen ad modum indicandi etiam referuntur: non quia uerba sunt, sed quia attributi uim obtinent. Vt cum hanc enũciationem pronuncio, homo gignit, uerbum hoc gignit idem ualet quod hoc totum, est gignens. In uerbis igitur quæ his quatuor Categorijs attributa sunt, non uim uerbi, sed attributi quod complectuntur spectare debemus. Primũ de faciendi, deinde de patiendi Categoria dicemus: tum de ea qua aliquid situm esse significamus: postremo de ea qua aliquo amictu tectũ esse aliquid dicimus. Qui certè ordo naturæ consentaneus est. Ordo enim naturæ id postulat, ut primum sit aliquid quod faciat, deinde quod patiatur: tum ut hæc duo sita sint, ut stét, aut erecta sint, aut aliquo alio modo composita: postremo, uel pelle tecta, uel alio integumento. Has quatuor reliquæ duæ rectè sequentur, propterea quòd superiorum uis & ratio quo tempore & loco sit, aut intelligatur, deinceps rectè quæri & disputari potest. Atque

Ordo nature

hæc quidem de ordine dicta sint. Nunc de singulis dicamus, ac primum coniunctè de faciendi patiendíque Categoria. Agere hoc loco aliud est nihil, quàm uim suã in aliud quod eam accipere poßit, inducere: ut cum ignem dico accendere materiam, hoc dico, ignis uim accendendi in materiam immitti. Pati autem est eam uim accipere. Ita nihil omnino agere intelligi potest, quin sit aliud quod patiatur. Sed hoc duob⁹ modis fieri potest. Nam quædã reuera agunt, id est, uim quãdam in aliud immittunt, ut ignis calefacit, quòd calorem afferat & gignat: alia nõ reuera immittunt, sed superiorum solum forma dicuntur. Vt cum accusare quempiam dicor, non formam aliquam, seu uim ei affero, sed solum hoc ipso agere aliquid dicor, quòd non quiesco. Prius quidem genus dialectici ferè tractant. Atque eius sex sunt genera prima, quorum duo naturæ & substantiæ sunt, ut generare, & interimere: duo quãtitatis, ut augere, & minuere: unũ qualitatis, ut commutare: unum loci, mutare locum. Quoniam autem uerba desunt, generãdi & interimendi uerbis in quantitatis qualitatisq; ortu atq; interitu declarãdo uti cogimur. Nam & uirtutes nasci, oriri, ingenerari, ac interire dicimus, & magnitudines. Eodem modo amplificare & minuere dignitatem, honorem, uirtutésq; dicimus. Rursus unumquodq; eorum in multas partes distributum est. Generare enim, & interimere, generari & interire aliquid & natura & cõtra naturam dicitur: ut homines qui ita ut natura in-

stituit, nascuntur, natura generari dicuntur, qui aliter ac natura instituit, ut monstra, ut abortus, contra naturam. Sic qui legitimo & à natura constituto tẽpore intereũt, eorum naturalis mors & interitus est: qui autem morbo, aut ui, alióue casu moriuntur, cõtra naturam dicuntur interire. Atque etiam generandi alia sunt genera. Nam alia semine tantum propagantur, ut homines: alia semine & traduce, ut arbores & stirpes: alia putredine, ut culices: alia alijs modis. Interitus alia est ratio. Intereunt enim alia morbo, alia senectute, quædã putrefactione, alia alio modo. Augendi etiã et diminuẽdi genera sunt multa, eáq; ferè ad superiora reuocari possunt. Nam & natura & contra naturam quædam tum crescunt, tum decrescunt. In crescendo etiam atque decrescendo notari certa magnitudo potest. Sed hæc non naturæ, uerùm accidentis potius diuisio est. Commutãdi etiam genera plura sunt. Commutari autem id dico quod alij alterari, id est ex qualitate mutari in qualitatem, ut ex calore in frigus, ex nigrore in candorem, ex metu in spem, ex gaudio in mœstitiam. Genera autem exponi omnia non possunt, frigefacere, calefacere, tepefacere, lætificare, tristitia afficere, perterrefacere, in spem conijcere, docere: cuius sunt etiam multa genera, ut docere grammaticam, dialecticam, aliásq; artes: & eius contrarium dedocere. Loci mutatio in multas parteis est distributa. Mouere enim & ferre aliquid sursum, & deorsum, antè, ponè, dextrorsum & sinistror-

sum possumus. Loci etiam mutatio uel continuata est, uel interrupta. Atque hæc sunt prima sex agendi & patiendi genera, & singulorum partes: uerbo autem mouendi hæc subiecta sunt omnia. Motus enim genera sex sunt, ut ortum & interitum motus nominemus. Atque ut in pauca rem conferam, uerba omnia quæ actiua & passiua grammatici uocant, communia item & deponentia, quæ cum eisdem casibus iunguntur, his duabus Categorijs attributa sunt. Nomina quoque ab ijs deducta eodem referri debent, ut actio, perpessio, motus, motio, ortus, interitus, accessio, decessio, commutatio, immutatio, & quæ his subiecta sunt. In quibus ne fallamur, uidendum est diligenter. Neque enim nomina omnia ab his ducta uerbis huc pertinent, sed ea modò quæ rem inchoatam imperfectámq; declarant. Non enim ædificium subest, sed ædificatio: neq; doctrina, sed opera quæ in docendo suscipitur, quam doctrinationem uocãt: nisi forte hoc etiam doctrina & disciplina significat. Eodem modo iudicãdum est de his nominibus, frigus, calor, tepor & alijs eiusdem generis. Neque enim his generibus continentur: sed hæc, frigefactio, calefactio, tepefactio, si modo usitata sunt. Quod ut internosci poßit, uis & natura actionis spectanda est. Est enim in eo posita, ut quod agitur aut fit, non sit omnino, sed partim sit, partim non sit. Nam si generis ea sit uis & natura, eadẽ formarũ sit necesse est. Sed actionis primæ ac maximè propriæ hæc, ut iã dixi, est

& ratio & definitio. Quoniam quæ res his duabus Categorijs subiectæ sint, exposui, deinceps quæstiones proponamus quæ de ijs tractari possunt. Quatuor quidem illis quæstionum generibus, de quibus dictum est, in his locus relinquitur. Generis enim magnæ quæstiones poni solent, ut si quæratur, Sit'ne iudicare, sentire? siue iudicium sensus? quod idem ualet, ut si quæratur, an sit sentire iudicandi, & sensus iudicij genus? Generis etiam huiusmodi exemplum est. An uidere facere sit an'ne pati? de quo magna est inter Platonem & Aristotelem dissensio. Item hoc, sit'ne mouere agere, & motus actio? Et sit'ne ortus motus? Definitionis tale exemplū est, Sit'ne motus actus eius quod potestate est, quatenus est potestate? & Sit'ne motus ex cōtrario in contrarium mutatio? Proprietatis tale erit, Soláne actio eiusmodi est, ut eius pars sit, absit altera? An soli orbes stellarum sint per se uolubiles? Accidētis autem & plurimæ sunt & maximæ, ut Habuit'ne ortū mundus? Et sit'ne aliquādo interiturus? An quod natū est, id omne necesse est occidere? An terra moueatur? Sól'ne moueatur? Fluant'ne & labantur cōtinenter omnia. Et sexcētæ generis eiusdē. Neq; enim est quòd numerum persequi conemur, contentiq; sumus, si nonnullas ponamus, ad quarum regulam si reliquæ dirigantur, aut ex ijs spectentur, facilè earum perspiciatur & distinctio & dissimilitudo. Quam ad rem magnum adiumentum afferent ea quæ supra de quæstionum diffe-

rentia diximus. Sūt enim generalia quædam præceptā fusa per Categoriarum genera omnia. Sed nō erit alienum quemadmodū ad superiores, ita ad has eadem accommodare. Omnes quidem cuius sint eorum quatuor quæ quæri solere dixi, ex attributo illa quidē spectantur, & æstimantur: sed tamen ne generis & accidentis quæstiones nos fallant similitudine, cauendum est. Neque enim si quæstionis attributum genus est, idcirco generis est quæstio. hæc enim, An terra mouetur? accidentis est, cum interea genus sit attributum. Hanc autem ab illa ita facillimè distinguemus, si accidentis & generis tenebimus definitiones. Sed hoc loco repetenda etiam sunt ea præcepta quæ suprà tradidi.

Sitū esse

Situm esse, est ita locatas esse partes rei, ut neq; agat quid, neque patiatur, sed neutro modo se habeat. Itaq; uerba omnia quæ neutra à grammaticis uocantur, ad hanc Categoriam pertinent: ea duntaxat quæ situm declarant, ut stare, sedere, accubare, supra & infra aliquem accumberere, supinum esse, pronum, & si qua sunt generis eiusdem. Raro hæc in disputationem incidūt, quò breuiores erimus. Mihi quidē hæc Categoria magna ex parte actioni cōtraria uidetur. Nā cum motū magna ex parte propositum, ut docui, illa habeat, hæc fere in statu tota uersatur. Statum autē uoco motus contrarium, ut cum dicimus stare solem, aut nauem, id est non moueri. Itaque hæc Categoria uel stare mihi appellari posse uidetur, uel cum hoc magna societate con-

iũgi. Nã quicquid stat, id aut sedet, aut iacet, aut accubat, aut alio aliquo modo situm est. Quanquã rationem situs corporum non quietis habendam esse in hac Categoria, dici posse non nego. Vtcunq; res habeat, certè non animantium modo, sed rerũ etiam mutarum situm complecti & declarare mihi uidetur, ut urbs spectare orientem dicitur, in planicie, aut in colle ædificata. Nam cum de situ urbis aut loci quæritur, ex his atq[illegible] eiusdem generis situs spectatur distinctio. Nom. à quibus hæc uerba ducta sunt, ad hãc Categoria[illegible] tinent, ut situs, accubatio, statio, seßio, deflexio, procliuitas, aliáq; generis eiusdem. Nam quod ait Aristoteles, hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur, habenda esse, id de Platonis dixit sentẽtia, cuius correxit definitionem. Raræ autẽ sunt, ut dixi, huius generis quæstiones. Generis tale exemplum est, Statne is qui surgit? Definitionis, ut An Stare sit ita compositũ esse, ut corporis moles tota in cœlũ pedibus fulta erigatur? Proprij huiusmodi, Solúmne hominẽ ex animantibus natura erexit? Accidentis, poßintne industria hominum bestiæ rectæ incedere? Hæ etiam ex attributis intelliguntur. Si qua enim ex hac Categoria quæstio ducatur, eius attributum illi subijciatur necesse est.

Habere, ut Categoria est, ad ea modo refertur, quæ corpus tegunt, ut uestes, ut arma, ut uilli, ut coria in bestijs. Quod enim homini uestis est, id sui est seta. Ita habendi genera sunt plura. Prima duo genera sunt, habe- Habere

re uestem, & habere arma duntaxat, quæ ad homines pertinere dicuntur. Hæc autem duo latinè dicũtur, uestitum esse, & armatũ uel in armis esse. prius uestium, posterius armorum genera omnia complectitur, purpuratum esse, sericatum, holosericatum, auro & argento fulgere, quæq; sunt eiusdem generis. Armis etiã subiecta est lorica, galea, thorax, caligæ, brachia, aliæque [illegible], hinc loricati milites. De his duobus generibus [illegible]q; partibus dialectici disputare non solent. De- [illegible] autem quæ belluarum sunt, nonnunquam disputant, cum eorũ cognitionem à physicis hauserint. Aliæ enim uillis uestitæ sunt, aliæ spinis hirsutæ, quædam pluma tectæ, nõnullæ squama, aliæ testa. Nomen autem à quo habẽdi uerbum ductum est, non habitum dici uolo, sed potius integumentũ. Habitus enim uestẽ alicuius generis hominũ uniuersam complectitur: ut cũ dicimus, statuã alicui positã esse habitu militari, habitu muliebri, habitu regio, quod Cicero ornatu militari solet dicere. Huic autem generi subiecta nõ sunt uestium integumentorúmq; nomina: pertinent enim ad naturæ, aut substãtiæ Categoriã. Itaq; sola ab ijs ducta nomina, quæ concreta dialectici appellãt, & adiectiua grãmatici, ut loricatus, uestitus, togatus, palliatus, cæteráqi eiusdem generis, ei sunt attributa. Quanquam & illa huic subiecta uideri possunt, ut ea considere mus, non quia res sint per se cohærentes, sed quia cõparata sint ad tegendum. Est enim hæc huius Categoriæ uera significatio.

Habitus

Noia cocreta

Inloco eē

In loco esse, facere, aut pati aliquid, est loco circunscribi & definiri tum naturam rei, tum eius actionem: ita ut certo in loco ea sit, agat, aut patiatur, non in alio. Quemadmodum hæc Categoria à loco qui quantitati subiectus est, differret, ibi exposui. Hæc autem Categoria latißimè patet. Complectitur enim primam hanc rerũ uniuersitatem: aut potius in hac rerum uniuersitate esse, & in loco, idem ualent: præsertim cum extra cælum nullus sit locus. Quoniam autem uniuersitas primum superiores, deinde inferiores naturas complectitur, duo prima genera huius Categoriæ erunt, in superis esse, & in inferis. Plures sunt partes singulorum, ut in cælis esse, in igne habitare, in aëre, in aqua degere, in terra uersari. Cæli siue orbes multi sunt, ut nouẽ, uel decẽ. Si quid in aqua uiuat, quæri potest, in marine, an in flumine, in lacu, an in stagnis, an in puteis, alijsq; eiusdẽ generis. Si in mari, Oceano, an Adriatico, an Caspio, an Rubro, an Indico & si qua sunt eiusdem generis. Quod in nominibus amnium, lacuum fontiúmq; cõtingit. Terræ autẽ quò plures sunt partes, eo plura genera ea ex parte in Categoriæ huius quæstiones conuenient. Nam cum treis in parteis omnis sit distributa, in Asiam, in Africã, & in Europam, ac unaquæq; rursus in partes innumerabiles diuidatur, nõ est id quidem dubium, quin singulæ magnam quæstionum copiã suppeditare poßint. Atque etiam illa loci genera huc referũtur, ut supra, & infra, à tergo, seu ponè, &

antè, à dextra & à sinistra. Nec dubiū est quin ea omnia quæ tribus reliquis loci aduerbijs significātur, ut quò, quà, & unde, eodē pertineāt. quæ mihi propterea omisisse uidetur Aristoteles, quòd uel facile intelligi possent, uel raro aut nunquam inciderent in disputationem. Generis quidem quæstiones ex hac Categoria raræ possunt existere, nec ferè dialecticorū sunt propriæ, ut si quæratur. Qui habitant in Turonibus, sintne in Aquitania? Et qui accolunt Sequanā, sintne in Belgica Gallia? Hæ enim geometrarum sunt. Plurimæ autem accidentis in hoc genere uersantur, ut si quæratur uiuátne aliquod animal in igne? Sit'ne aliquod animal quod partim in aqua, partim in terra uiuat? Sintne stellæ in octauo orbe? sol in quarto? luna in primo? An ros in media aëris regione oriatur? Sint'ne hy[illegible]ne in Gallia hirundines, an aliò se conferant? An in cælo animi uersarētur antequā in corpora intrarent? Comparatè etiam multa quæruntur, ut si quæratur, utra suauior & præstantior sit uita, eáne quæ in solitudine, an quæ in celebritate degatur? quæ rure, an quæ in urbe? Proprij autē & definitionis quæstiones hinc facile internosci possunt: & cuius sint eorum quatuor quæ quæri posuimus, eodē modo quo in superioribus, ex attributis intelligatur.

Reliqua est ea, qua in tempore aliquid fieri declaratur. Eius sunt tria genera prima, in instanti & præsenti, superioribus, & consequenti siue futuro. In singulis rursus spectantur hæ partes, annis, mensibus, die-

bus, horis: uere, æstate, autumno, hyeme. Calēdis, Nonis, Idibus. Generis erit quæstio huiusmodi, Qui instāti tempore agit aliquid, agátne in tempore? Raræ sunt generis. Accidētis cōtrà sunt creberrimæ, ut, An quod mouetur, in tēpore moueatur? Num triginta annis Saturnus cursum suum cōficit? Tutúmne sit hyeme nauigare? Atq; hæc quidem & alia eiusdem generis simpliciter quæruntur. Comparatè autem illa, An beatus malit uno die optimè uiuere, an multis bene? Sit'ne carior doctrina quæ in senectute, quàm quæ in adolescētia traditur aut discitur? Proprij huiusmodi erit exemplum, Sit'ne insipientis in diem uiuere?

Atque hæc de singulis Categorijs dicta sint. Quæ autem earum sit & dissimilitudo & distinctio, primum ex singularum definitionibus intelligi licet, deinde ex earum notatione, & proprietatibus. Definitio quæ cuiusq; esset, exposui, in eóq; ne similitudinis specie erraremus, cautiones adhibui. Notatione autē rerū adhibita, multo etiam erimus cautiores. Est quidem substantia, quam naturam appello, quasi fundamentum: cæteræ autem res tanquam additamenta, quæ natura nitantur. Vt enim cætera quæ fundamento adiunguntur ædificando, sublato fundamento, corruunt & concidunt: ita sine substantia reliquæ res cohærere nullo modo possunt. Præterea substantia est tanquam stirps, aut truncus, cætera sunt instar propaginis. Nam quemadmodum è trunco frondes, & folia nascuntur: sic ex

Sûbstantia

ſubſtantia reliquæ Categoriæ eueniunt. Si enim corporea ſit natura, aliqua ſit magnitudine neceſſe eſt, ſit alba, aut nigra, aut alio colore tincta, aliud efficiat, ſui ſimile aliquid patiatur, partes, aut membra, aut totũ corpus habeat compoſitum, & tectum, idq; aliquo loco circũſcribatur, & tempore. Nunc de proprietatibus aliquid dicendum eſt. Subſtantiæ primũ illud proprium eſt, nec elationem accipere nec ſubmiſsionem, id eſt non dici cum magis & minus aduerbijs: ut homo alius alio magis aut minus homo non dicitur. Cætera autem Categoriæ illa recipiunt. Nã alius alio & maior, minórue dicitur, & albior aut atrior, & pater magis aut minus, & plus minúsue agere aut pati, & erectior, melius ueſtitus aut armatus, & in maiore aut minore loco, & diutius aut minus diu uiuere. Deinde illud etiam naturæ aut ſubſtantiæ proprium eſt, nõ ineſſe ſubiecto, cum in ſubiecto cætera inſint omnia. Ineſſe autem in ſubiecto, eſt ita in aliquo ineſſe quippiam, ut nec ſit eius pars, nec ab eo ſeiungi poſsit, ut uirtus qua eſt aliquis præditus, in eo ineſt, non ut pars: & ab eo ſeparari non poteſt, id eſt ſine eo non poteſt in rerum natura manere. Si omnia naturarum genera perſequi uelimus, earum nullam in ſubiecto ineſſe reperiemus. An autem humana natura quæ ſpecies eſt, aut Socratis natura ſic in homine, aut in Socrate inſit, ut nec ſit pars eius, nec ſine eo conſtare poſsit, magna quæſtio eſt. Sed nihil eſt tam ſubſtãtiæ proprium, quàm eam cum una eademq;

maneat, accipere posse contraria. Cætera enim recipiunt illa quidem contraria, sed uel non eadem numero manent, uel non mutantur accipiendis contrarijs. Nam nec color unus atque idem manens, candor & nigror dicitur, & oratio eadem uera ac falsa illa quidem dicitur, sed tamen cum ita dicitur, nulla eius sequitur immutatio. At substantia una eademq; numero manens, immutatione sui contraria accipit. Socrates enim una hora ex calido fit frigidus, cum sit unus & idem, idq; sui mutatione, quoniā nunc frigidus est, qui paulo antè calidus fuit. Atque hæ quidem sunt naturæ proprietates, quæ eam à cæteris Categorijs facile seiungunt.

Quātitas autē hoc à cæteris differt, quòd æqualis, aut inæqualis, par aut impar dicitur, cæteræ aut nō dicūtur omnino, aut habita illius ratione dicuntur. Nam cum aliquid æquale tribus modis appelletur, aut quod tam lōgè, aut quod tā latè, aut quod in omnes partes æquè pateat: quorū in primo lōgitudinis, in altero latitudinis, in tertio altitudinis & craßitudinis habeatur ratio: hæc autem in solis magnitudinibus intelligantur, profectò solæ magnitudines, ut lineæ, ut extremitates, ut locus, ut corpora, æquales inæqualésue dicuntur. Quod eodem modo de numeris, qui soli pares aut impares dicuntur, intelligendum est. Nam cætera, paria & imparia, æqualia & inæqualia ex ijs nominantur. Vt pares duo homines siue æquales dicuntur, quòd sint pari magnitudine. Quanquam multis in rebus his uerbis

Quātitatis differentie

abutimur, ut duos homines pari uirtute, id est simili præditos dicimus. Inter qualitatem autem & cæteras categorias hoc interest, quòd ex qualitate aliquid simile aut dißimile nominatur, ex cæteris non nominatur, ut qui ijsdem lineamentis oris præditi sunt, similes appellantur: in quibus ijdem mores sunt, eædem uirtutes, similes moribus uirtutibúsq; dicuntur. Hoc etiam distant ea quæ cum aliquo conferuntur, à cæteris, quòd si quis norit unum eorum quæ cum aliquo conferuntur, simul cognoscet alterum: quod in alijs non est necesse. Nam cui exploratum erit aliquid duplum esse, cuius sit duplum etiam intelliget. Sed hoc in ijs modò quæ certa sunt & definita, atque id in numeris intelligendum est. ut si quis cognoscat dupla esse quatuor, is statim duorum esse dupla cognoscet, in alijs autem huius generis necesse non est. ut si quis, certum hominem sciat patrem esse, is filij quidem patrem esse sciet: cuius autem filij, non poterit dicere. Quapropter hoc potius ea quæ cum aliquo conferuntur, à cæteris distingui dicentur, quòd neutrum simpliciter, sed solum comparatè cognoscitur, simpliciter autem reliqua cognoscuntur omnia. Patrem enim aliquem esse nemo intelligere potest, nisi eum cũ filio: nec duplum, nisi id simplum cuius duplum sit: nec maius aliquid esse, nisi cum minore conferat. Cætera autem omnia simpliciter cognoscuntur: ut substantia quid sit, ut intelligamus, non ad aliud referre cogimur, sed ipsam per se consyderamus. Quod

eodem modo de quantitate, qualitate, reliquisq; categorijs iudicandum est. Quòd si prius illud horum proprium efficere uelimus, hoc solum dicendum est, cognito uno eorũ quæ huic sint categoriæ attributa, alterum etiam cognitũ esse necessario. Nam cum rei natura quæ sit, nisi ex definitione cognosci non poßit, in eorum autem quæ cum aliquo conferuntur, utroq; definiendo alterum adhiberi oporteat, nec definitio nisi cognitis uerbis omnibus ex quibus cõstat, poßit intelligi: profecto unum si cognitum sit, alterum etiam sit necesse est. Reliqua autem sex categoriarum genera & facile inter se, & à reliquis internosci possunt. Nam actio & perpeßio hoc ab reliquis differunt, quòd reliquæ præter tempus & orationem totæ & uniuersæ eodem tempore permanent, ipsæ autem nunquã totæ. Veluti actio, exempli causa, uirtutis, aut uitij continenter fluit & labitur: ita ut nec cum incipit, iam sit, nec cum peracta est, eius pars ulla reliqua sit: quod eodem modo de motu iudicandum est. At substantia eadem tota diu perseuerat, tota quantitas, tota qualitas, totus etiam aliquis diu accumbit, in certo loco, & tempore, etiam uestitus est. Nam quod tempus excepi & orationem, ea excepi quia ad quãtitatem pertineant: à quibus actio & perpeßio hoc distant, quòd tẽpus sit numerus motus primi cæli quod mouetur, oratio autẽ sit in uoce, hæc autẽ in faciendo & patiendo sint. Inter actionẽ autem & perpeßionem hoc interest, quòd illa à faciente, hæc in

patiente nascitur. Neque enim reipsa differunt, sed sola cogitatione. Amor enim & actionis & perpeßionis est. actionis quatenus ab aliquo proficiscitur: quatenus in alterum extat, & ab eodem accipitur, perpeßionis. Itaque quatenus actionis est, agendi: quatenus perpeßionis, patiendi uerbo explicatur, ueluti amor meus, is quo te amo dicitur: amor tui, quo amaris. Reliqua quatuor hoc à cæteris differunt, quòd nullã habeant eminentiam, id est non sint re uera, sed rerum quædam sint affectiones, & ut uulgo appellãt, habitudines, illæ autem re uera sint. Neque enim aliud est reipsa hominẽ accũbere, in loco esse, decem annis uiuere, aut uestitum esse, aliud hominem esse omnino: sed reipsa eadem sunt, uerbo autẽ solo & cogitatione differũt. Ex quo perspicuũ est quinq; esse tantũ genera rerũ. Nam quicquid re uera est, id uel substantia est, uel quantitas, uel qualitas, uel relatio est, uel actio. Quanquã non omnis re ipsa relatio est. Ita hæc decem prima capita & genera non omnia inter se re ipsa differũt. Quapropter non hæc distinxit genera Aristoteles, nisi quòd quicquid alicui attribueretur, tot modis attribui posset, ut nõ rerum, sed uerborum quæ dicerentur, aut dici possent in aliquo distinctiones, rationẽ habuisse uideatur. Itaque principio libri qui inscriptus est Categoriæ, quæ simplicia sint uerba, ea uel substantiam, uel quantitatem, uel qualitatem, aliámue categoriam significare dicit: & ex ijs constare enunciationes. Quo autem modo postrema

eædem quatuor categoriæ inter se differāt, facile est dictu. Nam & situm esse, significat rem totam aut eius partem partésue aliquas aliquo modo positas esse & collocatas: & tectū esse aliqua re aduētitia, aut quasi aduentitia munitum amictúmq; esse contra ea quæ extrinsecus occurrunt. Et in loco esse, uel agere, uel pati, est loco definiri naturam ipsam, aut eius actionem, aut perpeßionem, uel aliam affectionem. Et in tēpore esse, agere, aut pati, est certum aut incertum tempus, uel rem ipsam, uel actionem eius uel perpeßionem, aut aliquam affectionem metiri, quorum omnium facilis est distinctio. Hæ autem categoriarum inter se dißimilitudines diligenter notandæ sunt. His enim cognitis, facile unaquaq; proposita quæstione, cuius sit categoriæ, poterimus dicere. Ac mihi quidem uideor satis docuisse, quid sit quæstio dialecticorū propria, quótq; eius sint, & quæ genera, & quemadmodum internosci poßint. Proximum est, ut de argumentatione, quæ ubi quæstio posita est, tractari solet, disseramus. Quoniā autē argumētatio omnis ex enūciationibus constat, & enunciatio ex uerbis simplicibus, à partibus minutißimis, ut polliciti sumus, ordiamur. Illud quidem intelligendum est, non solum quæstiones ex illis quatuor quæ in disputationem sola incidere docui, & ex decem categorijs, quarum in quaq; illa quatuor inhærent, uerum etiam enunciationes omneis constare. Nam cum ex quæstione enunciatio, sublata nota interrogationis, ferè efficiatur,

nec res ulla confirmetur aut refellatur, nisi quæ propō sita sit ad disputādum, profectò ex ijsdē uerbis tanquā partibus quæstio, enunciatio, & argumentatio constet necesse est. Itaq; quam fecimus quæstionum diuisionē, eandē etiam enunciationū faciamus licebit, ut dicamus alias esse generis, alias definitionis, alias proprij, alias accidentis: & earum unāquāq; aut substantiæ esse, aut quantitatis, aut qualitatis, aut eorū quæ cum aliquo cōferātur; aut actionis, aut perpeßionis, aut situs, aut integumēti, aut loci, aut tēporis. Sic enim in ueri & falsi diiudicatione minùs aberrabimus. Nam cum hoc loco hæc omnia nominis & uerbi nominibus appellentur, ita facillimè de ueritate & falsitate iudicare poterimus, si nomina ex quibus constant enunciationes, quo quasi à capite arceßita sint, intelligemus. Si enim tantum scias esse nomen id quod attribuitur alteri, aut aberrabis à uerò: aut si attingas, id casu, non ex arte facere uidebere. At si id, exēpli causa, genus esse scias, & teneas quæ tradidi, sine ullo negocio uerè ne an falso rei subiectæ attribuatur, intelliges. Sint ergo hæc omnia quasi materia enunciationum. Quoniā autem hæc iam à nobis explicata sunt, & hoc, ut dixi, loco nomina & uerba appellantur: primum quid sit nomen, quid uerbum dicamus: deinde quid oratio & enunciatio.

Nomen

Nomen uox est ex instituto significās, sine tempore, cuius pars nulla quicquā declarat separatim. Quoniam omne dialecticorum institutum est, ut alicui in disputā-

do, disputare autem sine uocis & orationis munere nemo potest, fit ut nomen uoci subsit, ut eius species & forma. Ita quæ uerba uel scripto constant, uel animis nostris impressa sunt, ea nō sunt propriè nomina dialecticis. Quod autem dixi, ex instituto significans, idem ferè ualet quod ex impositione: quibus uerbis eæ uoces excipiuntur, quæ natura aliquid significant, non ex hominum instituto & quasi compositione. Eiusmodi uoces sunt eiulantium, ridentium, & peregrinarum aut etiā barbararum nationum. Quod autem sequitur, sine tempore, uerba, id est ῥήματα excludit. Nam & uoces sunt, & ex instituto hominum significant, sed quia tēpus adsignificāt, nō sunt nomina. Hæc enim nomina, annus, dies, hora, non adsignificant tempus, sed planè significāt. Aliud est enim adsignificare tempus, quod alij cum tempore significare dicunt: aliud significare. Adsignificare enim tēpus, est tēpus ad significationē quæ iā est, quasi sociū adiungere, ut amo uerbum agere aliquid significat, & prætereà illud notat in instāti tēpore fieri. Significare autem tempus, est primum illud declarare non sequi, ita ut tempori tanquam eius pars subijciatur. Postremum autem illud, cuius pars nulla quicquā declarat separatim, reijcit orationem. Nomina autem iuncta, quæ grāmatici cōposita uocant, hac definitione continētur. Etsi enim in hoc uerbo, præpotēs, præ præpositio aliquid significare uidetur, tamē separata nihil significat omnino. Addūt etiā nomina infinita dia-

lectici, secuti Aristotelem, quod mihi non placet, nisi in nominibus ijs quæ concreta ipsi, grammatici adiectiua nuncupant: quo in genere hæc sunt, non iustus, non dignus. Vt in hac enũciatione, Omnis ornatus est non dignus uiro. Nam in hac, Non homo est rationis expers, non puto ferendum: sed si hoc modo dicas, id quod non est homo, non est rationis particeps. Obliqui autem casus, ut hominis, homini, hominem, homine, non in nominum numero reponũtur, quoniam placet Aristoteli ex nomine & est uerbo constare enunciationem, quod in his minimè contingit. Neque enim hoc totum, Hominis est, enunciationis nomen obtinet. Ita nominis definitio complenda erit hoc modo, Nomen est uox significans ex instituto, sine tempore, cuius pars nulla quicquam declarat separatim, sed ita ut cum est uerbo enunciationem efficiat. Atque hæc quidem de nomine.

Hõis definitio

Verbũ

Verbum autem uox est tempus præsens adsignificans, cuius pars nulla quicquam separatim efficit: semperq́; ea declarat quæ de alio dicũtur, ut amo. De uerbis infinitis eodem modo quo de nominibus infinitis iudicandũ est. Ab hac definitione excluduntur præterita & futura, uerba etiam imperantis, optantis, & infiniti modi, quòd ea quæ alijs attribuuntur, non indicant, & quòd omne uerbum iunctum cũ nomine pronunciatum efficit. Ita sola indicãdi modi uerba sunt, duntaxat quæ præsentis sunt temporis. Cum autem enunciationem dico, eam dico, qua aliquid de aliquo dicitur. Nam in ijs

quæ connexa dicuntur, subiunctiui & optatiui modi uerba habētur, itémque præterita & futura, ut in hac, Si cras terra lunæ obijciatur, cras luna deficiet.

Oratio autem est uox significans, cuius pars aliqua seiuncta illa quidem significat, sed ut nomen, non ut affirmatio. Hæc ab Aristotele traditur definitio, qua mihi uidentur excipi orationes connexæ, ut hæc, Si sol lucet, dies est. Quod certè eius instituto consentaneum est. Nam cum de enunciationibus quibus aliquid de aliquo dicitur, in libro de interpretatione disserere cōstituisset, et in prioribus analyticis de ratiocinatione simplici, quæ κατηγορικὸς συλλογισμὸς uocatur, profectò de oratione cum disputat, de illa disserere uidetur. Quod etiã definitionis uerba illa, non ut affirmatio, declarãt. Nam hoc totum, dies est, separatum ab hac enunciatione, Si lucet, dies est, ut affirmatio significat. Oratio

Nos autem quoniam de utroq; enunciationis genere dicere instituimus, orationem definiamus hoc modo, Oratio uox est, cui⁹ pars aliqua separata significat. Vel hoc modo, Oratio est multarum dictionum siue uerborum ex instituto significantium comprehensio. Orationum autem genera sunt duo. Alia enim perfecta est, alia imperfecta. Perfecta est ea, quæ perfectam sententiam in animo audientiũ imprimit, ut homo est animal. Imperfecta contrà ea est, quæ non imprimit & parit, ut hæc, Socrates & Plato. Hac enim prolata oratione, animi auditorum nō conquiescunt, sed aliquid præterea

desyderant. Perfecta rursus duplex est, alia quæ enunciatio est, alia quæ non est enunciatio. Enunciatio illa est, quæ uerum quid falsúmue declarat, cuiusmodi hæc est, homo est rationis particeps. Enunciatio autem nō est ea quæ uerum aut falsum non significat, ut orationes imperantium, aut optantium, aut rogantium, & admirātium. Ita orationes indicandi modi dialecticis solæ relictæ sunt, duntaxat simplices. Quoniam autem uerum aut falsum quid esse dicitur duobus modis, & simpliciter, ut homo est animal, & ex adiunctione, ut si sol lucet, dies est, duo enūciationum genera extiterunt: unū simplex dicitur, quod uerū aliquid absolutè aut falsum complectitur, ut hæc enunciatio, Animus est immortalis, simplex appellatur, quòd simpliciter, non ex aliqua adiunctione uerum exprimit. Alterum dicitur tum cōnexum à Cicerone, tum copulatum, ut si quid currit, id mouetur. hoc συνθετικὸν græci appellant. Id autem connexum pronunciatū est, quod uerū aut falsum quid esse declarat ex adiūctione, ut cum dico, Si homo currit, mouetur, non simpliciter aut omnino hominem moueri dico, sed ex cōnexione hac, si currit. Hæc duo genera multas habent partes, de quibus nobis dicendum est sigillatim, ac primū de simplicium generibus. Simplicium primum genus est, cum utrunque nomen enunciationis simplex est, aut iunctum. Simplex, ut in hac, iusti sunt boni: iunctum, ut iniusti sunt improbi: aut cum alterum iunctum est, quod duobus modis fit, ut impij

sunt mali: Boni sunt ferè inopes. Alterum genus est cũ utrunq; copulatum est, aut alterum. Copulatum autem siue coniunctũ appello extremũ, quod ex multis cõstat uerbis. Id quod duobus modis fieri potest. Nam aut coniuncta uerba sunt sine coniunctione, aut cum coniunctione. Si sine coniunctione, id fiet solum uno modo: si coniunctio addatur, duobus. Nam aut, uel, ue, &, ac atque, que, coniunctiones possunt nomina copulare. Primi generis pronunciatorum exempla erunt huiusmodi, Animal rationis particeps, est capax disciplinæ. Homo est animal rationis particeps mortale. Homo malus est homo. Eodem adduntur relata, ut in hac, Virtus bonos eos in quibus inest efficit. Secũdi hæc, Homo uel bellua rationis est particeps. Deus & animus sunt immortales. Eadem commutari possunt tot modis quot superiora pronunciata. Nec uero in ijs modo pronũciationibus quæ ex est uerbo constant, hoc contingit, sed in ijs etiam quæ ex alijs quæ adiectiua nominantur à dialecticis. Vt in his, Homo & angelus ratiocinãtur, Sapiens rebus suis consulit & alienis. Virtus uel uitium bonos efficit. De connexis dicemus postea. Antè autem quàm ad alia pergo, quò hæc facilius intelligantur, non alienũ erit enũciationis simplicis partes quæ, & quot sint, expõnere. Omnis quidem pronunciatio ex nomine & uerbo, aut ex nominibus constat. Si ex nomine uno tãtum, id subiectum erit semper, & in uerbo attributum totum intelligetur. Si ex nominibus, id duobus modis

usuenire potest. Nam aut est uerbum, aut aliud enunciatio complectitur. Si est complectitur, tum id nomen cuius uis alteri conuenire, aut non cõuenire dicitur, solũ attributi, id est prædicati appellatur nomine. Si alio ex uerbo constet effatum, ipsum illud uerbum partem sibi attributi uendicabit. Horum omnium exempla erunt huiusmodi, Deus est, Deus est bonus. Deus curat res humanas. In prima enim enũciatione dei uerbum subiecti nomen obtinet, est autem uerbum simul & uerbi & attributi. Cum enim dico, Deum esse, deũ ab ijs separo quæ nulla sunt, eiq; statum tribuo. Cum autẽ eum dico bonũ esse, deo bonitatem attribuo, ita boni uerbũ solum erit in attributo. At cũ eum dico res curare humanas, nõ ei res humanas attribuo, sed rerũ humanarũ curam & prouidentiam. Atque in his distinguendis exercendi erunt studiosi differẽdi, quòd sine his uerum à falso uix aut ne uix quidem possunt internoscere. Id autem quò facilius efficere poßint, primum sic habeãt, Omni simplici enunciatione aliquid alicui uel uere uel falso attribui: quod attribuatur, id appellari attributũ, siue prædicatum: cui quid eo modo attribuatur, id subiectum uocari. Deinde ut facile alterum ab altero separare poßint, hoc intelligãt, duplicem esse ordinem orationis: unum, qui à natura: alterum, qui ab arte sit profectus. à natura autem eum profectum esse, quo natura sua quisq; duce simpliciter animi sensa exprimit: ab arte eum, qui cõuersus est. Nam naturalis est sermo hu-

Orois ordo dup.

iusmodi, Deus prospicit hominibus: conuersus hic, Hominibus deus prospicit. Et, Deus hominibus prospicit, &, Hominibus prospicit deus. Naturalis huiusmodi, Deus est præpotens omnium rerum: Artis & uersus hic, Deus est rerum omnium præpotens. Et, præpotens est deus rerum omnium, &, rerum omnium præpotens est deus, &, rerum est omnium præpotens deus. Ex quibus perspicuum est, eum sermonem qui simpliciter ac uno modo à natura nobis tributus sit, multis modis artificio esse commutatum. His cognitis uidendum erit diligenter, sit ne sermo naturalis is qui erit propositus, an ne cõuersus. Si erit naturalis, ea omnia quæ uerbum antecedent, subiecti: quæ sequentur, attributi aut eius partis nomen obtinebũt. Si artis erit, & uersus, ad naturalem reuocandus erit, atque ex eo quæ subiecta erit res, quæ ei attributa, erit æstimãdum. Huius autem rei præceptum generale est, Omnia nomina quæ uerbum enunciationis à fronte asciscãt, ad subiectum: quæ à tergo, ad attributum pertinere. Sed de his hactenus. Nunc ad institutum reuertamur. Atque etiam simplicis enunciationis alia genera sunt. Omnis enim simplex, aut ait quid, aut negat, id est, aut affirmatio est, aut negatio. Affirmatio est enũciatio, quæ ait quid, ut hæc, Iustitia uirtus est. Negatio est enũciatio quæ quid negat, ut, Iustitia non est uirtus. Quoniam autem cum quid confirmamus, & negamus, id uel de toto genere facimus, uel de parte incerta uel de certa, uel etiam de aliqua re,

Affirmatio
Negatio

ſingulari, efficitur ut tam affirmatio quàm negatio in quatuor partes ſit diſtributa. Prima dicitur affirmans uel negans uniuerſè, uel in totum: altera affirmans uel negans ex parte aliqua: tertia affirmans aut negans ex incerta parte: quarta affirmans aut negans ſingularis. Affirmatio autem quæ dicit quid de toto genere, ea eſt enũciatio, qua aliquid omni rei propoſitæ conuenire dicitur. Vt hæc, Omnis iuſtitia uirtus eſt. Negatio autem totius generis eſt enunciatio, qua aliquid toti rei propoſitæ cõuenire negatur, ut nulla iniuſtitia uirtus eſt. Affirmatio autẽ incertæ partis eſt ea, qua aliquid incertè parti rei propoſitæ conuenire dicitur. ut uirtus eſt per ſe expetẽda. homo currit. Negatio indefinita eſt, quæ quid negat conuenire indefinitæ parti rei propoſitæ, ut homo non uigilat. Affirmatio cuiuſdam partis, eſt enunciatio, qua quid alicui rei propoſitæ parti cõuenire dicitur, ut, Aliqua uoluptas eſt bonum. Negatio autem alicuius partis, eſt enunciatio qua alicui parti rei propoſitæ quid negatur conuenire, ut, Aliqua uoluptas nõ eſt in bonis. Harum duarum notæ ſunt eæ quæ partem aliquã declarant, cuiuſmodi hæ ſunt, Aliquis, Quidam, nonnullus, & quæ ſunt generis eiuſdem. Affirmatio rerum ſingularum eſt enũciatio, qua alicui rerum ſingularum quid attribuitur. ut Ariſtoteles eſt Philoſophus. Philoſophia enim ei attribuitur. Hic iuſtus eſt. Negatio autem rerum ſingulãrum, enũciatio eſt, qua rerum ſingularum alicui propoſitæ quid negatur conuenire: ut

Aristoteles non uiuit. ei enim uita negatur conuenire. Hic non est iustus. Has autē definitiones qui uolet, ad attributa & subiecta accōmodare poterit, ut dicat affirmationē totius generis, eam enūciationem esse, cuius attributū toti subiecto conuenit. itemq; in cæteris. Quod ut uerū sit, tamē quæ sequūtur partitiones nō in uerbis, sed in rebus ipsis necessario intelligūtur. Omnis enūciatio siue simplex sit, siue aiat quid siue neget, uera aut falsa est. Vera illa est quæ id quod res est, declarat, ut homo est rationis particeps. Hæc enim hominē esse rationis participem significat, quod ita est. Falsa autem ea est, quæ aliter rē atq; est, declarat, ut homo nō est rationis particeps. Et quoniam enūciationis omnis ueritas & falsitas ex eorum conuenientia seu consensione, aut disiunctione iudicanda est, quot modis res conspirare, & dissidere inter se possint, uideamus. Hoc enim ad diiudicandā enunciationum ueritatem & falsitatem ualet plurimum. Tribus quidem modis res inter se affectas esse inuenio. Aliæ enim res sic cohærent inter se, ut nūquam seiungi possint: aliæ contrà sic inter se disiunctæ sunt, ut coniungi nunquā possint. Quædā his interiectæ, interdum coniunguntur, interdū separantur. Primi generis eæ sunt omnes, quas cuiq; categoriæ attribuimus, si in enūciationibus semper ea quæ latius patent ijs tribuamus, quæ patēt angustius: aut si, ut rē in pauca cōferam, genus & differētia de suis formis, proprium de specie cuius est propriū, et de eo cuius uim declarat de-

Necessariæ

finitio, dicantur. Ex his enim enũciationes exiſtent: quæ propterea dicuntur neceſſariæ, quòd aliter eſſe non poſſit, atq; declarant. Generis huiuſmodi erit exemplum, Homo eſt animal. Iuſtitia uirtus eſt. Virtus eſt habitus. Differentiæ, ut homo eſt rationis particeps. Virtus eſt uolũtaria. Proprij, ut hæ, homo capax eſt diſciplinæ, enunciatio uera eſt aut falſa. Definitionis, homo eſt animal rationis particeps. Virtus eſt habitus animi uoluntarius, rationi conſentaneus. Hæ enim enunciationes ſic ueræ ſunt, ut in falſum conuerti nequeant. Secundi generis enunciationes ſunt earum rerum quæ in diuerſis categorijs collocantur, & nominibus ſubſtantiuis exprimuntur, aut in ijſdem, ſed non ijs generibus, quorum alterum alteri ſubeſt, continentur. ut, homo eſt uirtus. Animal eſt natura incorporea. Homo eſt lapis. Enunciationes autẽ quæ de his rebus ſunt, Impoßibiles uulgo appellantur, nos enunciationes de eo quod fieri non poteſt, ut Cicero, nominamus, propterea quòd fieri non poßit, ut res ita habeat, ut ſignificant. Atque hæc duo genera enunciationum aientia ſunt. Negantes autem erunt enunciationes neceſſariæ, ſi aientibus ijs quæ de eo quod fieri non poteſt, ſunt, adiungatur negatio, & cõtrà negantes ex eo quod fieri non poteſt, ſi aientibus neceſſarijs, eodẽ modo negatio adiũgatur. Vt enim hæc neceſſaria eſt, homo eſt animal: ſic hæc impoßibilis, homo animal nõ eſt. Eodẽq; modo hæc neceſſaria eſt, homo non eſt lapis, quæ erat ut uocãt impoßibilis, ſublata

Impoſsibiles

negatione. Sunt etiã aliæ quæ inter has,ut dixi,medium locum obtinent.Quæ de ijs sunt enunciationes,nec sunt necessariæ, quòd aliter res se habere potest, atque significãt,nec,ut uocant,impoßibiles,quòd fieri potest, ut res ita habeat, ut indicant. Contingentes eas uocant Dialectici,quòd fieri poßit ut ita & res sit,& nõ sit, ut illæ significãt. Accidẽtis autem sunt hæ omnes pronunciationes,quandoquidem accidens id esse definitione explicauimus,quod conuenire & non conuenire potest re in qua inest salua & integra. Quod etiam hinc sciri potest,quia cum quicquid alicui attribuitur, id aut genus sit, aut definitio, aut proprium, aut accidens: in quibus autem effatis genus attribuitur, definitio & proprium, eæ necessariæ,ut docui,habendæ sint:profectò si qua enunciatio ex accidente nascatur, ea sit contingens,necesse est.Propriæ autem accidentis & naturales enunciationes esse debent, ut etiam generis,definitionis,& proprij,cuiusmodi sunt eæ omnes,in quibus hæc quatuor subiectis rebus tribuuntur proprijs atque naturalibus.Naturales porrò accidẽtibus subiectæ res, sunt eæ in quibus aut cohærent iam,aut certè cohærere possunt. Quarum aliquas nominemus, ut studiosorum differendi aliqua ex parte laborẽ leuemus. Omne corpus, siue natura corporea, est quasi sedes colorum & magnitudinũ propria: Homines soli ex animalibus artium, uirtutum atque uitiorum: Animalia omnia perturbationum omnium. Animalia rursus integumento-

Cõtingentes

Accidentis

rum, situs, & relationum. Corpora primũ ac maximè actionum & perpeßionum, eadem cum numeris, sedes sunt figurarum atque formarum. Itaque ex ijs accidentis erunt omnes enũciationes. Ut cælum cæsium est. herba est uiridis. coruus niger, cygnus albus. Aristoteles fuit philosophus. Nicomachus numerorum rationẽ tenuit. Hippocrates fuit medicus. Cicero orator & philosophus. Aristides fuit iustus. Sapiens Socrates. omni uitiorum genere inquinatus Nero. Nec uero solæ affirmationes sunt huius generis, uerum etiam negationes, ut, Aristoteles non fuit omnibus bonis artibus instructus. Cicero nõ fuit orator. Si igitur hæc ita, ut dixi, collocabũtur in oratione, ex ijs accidentis existent pronunciationes. Si autem accidentia eis rebus pronũciando tribuãtur, quæ non sunt eorum subiecta propria, affirmationes sic falsæ erunt, ut ueræ nunquam esse possint. Ita in earum numero reponuntur, quæ impoßibiles nominantur. Negationes autem quoniam sic ueræ sunt, ut in falsum commutari nequeãt, erunt omnes necessariæ. Hoc ita facillimè intelligetur, si ordinem eum quem paulo antè præscripsi, commutabimus. Dixi corpora, siue naturas corporeas sedes esse proprias colorũ. peruertamus hũc ordinem, attribuamúsq; colores deo, animis & angelis, hoc modo, Deus est albus, aut niger: Animi sunt rubri: Angeli sunt uarijs coloribus tincti, nomen earum quæ uulgo impoßibiles dicuntur, habere intelligentur: quibus si negatio adiungatur, erunt ne-

cessariæ. Quæ cum ita sint, illud quidẽ perspicuum est, quod supra dixi, eorum quatuor quæ sola in disputationem incidere possunt, cognitionem plurimũ ad ueri & falsi diiudicationem ualere. Qui enim enunciationem omnem qua & genus suis formis attribuitur, & definitio rei quæ definitur, & proprium formæ cuius est proprium, non solum ueram esse perspiciet, sed etiã necessariã: & eandem, si negatio adiungatur, non modo esse falsam, uerum etiã in ijs esse quæ fieri non poßint: itémq; qui effatum omne in quo accidens proprio subiecto attribuatur, uerum esse, & falsum id quod neget: sed ita ut & in falsum ex uero, & ex falso in uerum mutari poßit, cognouerit: is profectô ad disserendum ueniet instructior, faciléq; uera cõcedet, negabitq; contraria. Quocirca non solum in quæstionibus, sed etiã in pronunciatis quid horum quatuor cui conuenire, aut non conuenire dicatur, primum ac maximè uidendum est. Deinde eo cognito, sintne aientia an negantia, consyderandum erit: tum aiántne, aut negent omnino, an ex parte. De quo iam dicẽdum est, ut hic locus absoluatur à nobis. Nam cum de aientibus & negantibus effatis paulo antè dissereremus, nihil locuti sumus, essent ne in totum, an ex parte aientia aut negãtia, id est, ut uulgus dialecticorum loquitur, essent ne affirmatiuæ aut negatiuæ uniuersales an particulares, quod Aristoteles uocat, καταφάσεις, & ἀποφάσεις καθόλου, ἢ ἐν μέρει, ἢ κατὰ μέρος. Generis quidem, proprij, ac defi-

nitionis certa præcepta dare possum, accidentis non possum. Omnis enũciatio, in qua attributum genus est, & subiecta illius forma, si aiat siue de toto genere & uniuersè, siue de parte, uera est: si neget utrouis modo, falsa. Quòd si uera, etiam necessaria: si falsa, etiã in ijs erit quæ fieri non possunt. Hoc quanquam est perspicuum, tamen exemplis illustrandum est. ut enim hæc uera est enunciatio, Omnis iustitia uirtus est: sic illa, ac maiore quadam ratione est, Iustitia est uirtus, aut, Aliqua iustitia uirtus est. Itémq; quoniam hæc falsa est, ut in eodem exemplo maneã, Iustitia uirtus non est, illa quoq; falsa erit maiore quadam ratione, Nulla iustitia uirtus est. Quod eodem modo in differentiæ, definitionis, proprijq́; enunciationibus contingit. Differentiam autem eam semper intelligo quæ formam efficit. Atque hoc quidem generale, ut dixi, præceptum est. De toto autẽ accidentium genere nihil certi possum tradere, duntaxat in aientibus, de parte possum. Omnis enim enunciatio qua accidens alicui subiecti proprij parti conuenire dicitur, uera est. Hæc enim uera est, Aliquis homo est dialecticus, cæteraq́; omnes generis eiusdem. Contrà, non omnis uera est, qua accidens parti proprij subiecti negatur conuenire. Quædã enim accidẽtia in aliquibus rerum generibus in totum intelliguntur. ut omnis coruus niger est. Omne cælum cæsii est coloris. omnis ignis habet uim caloris. Ita de accidente si ad totum genus rei in qua inesse solet accommodetur, nihil certi tradi

fferentia

potest. Non enim omnis eiusmodi uera est neque falsa. Si autem negetur omni ex parte cõuenire, aliquid certi tradi potest. Omnis enim eiusmodi falsa est. Nã quoniã quod accidit, id omne alicui parti rei sibi propositæ, ut ostendi, conuenit, (Aliquis enim homo dialecticus est) falsum erit, nullum accidẽs ulla ex parte rei conuenire, nisi fortè ita fingamus. Atque hæc quidem de naturalibus effatis intelligenda sunt omnia. Nã de ijs quæ cõtra naturã sunt, quales sunt eæ, in quibus res diuersarũ categoriarũ aut etiã generum substãtiuis significãtur, hoc dici in totum uerè potest, si aiant, siue aliqua, siue omni ex parte, eas falsas esse, & in ijs quæ fieri non possunt. Est enim ut hæc falsa, Omnis homo est lapis: sic hæc, aliquis homo est lapis. Sin negent utrouis modo, ueræ erũt ac necessariæ. Hæ enim duæ necessariæ sunt, Nullus animus numerus est, Aliquis animus non est numerus. In quo non solum utile erit, sed etiam necesse ea repetere ac tenere omnia, quæ in categoriarum disciplina tradidi. Nonnulla enim docui esse eiusmodi, quæ ad duas categorias pertinerent. Ita excipienda erunt, ut sit generale præceptum. Eodem modo de ijs pronũciatis iudicandum est, in quibus genus, proprium, definitio & accidens proprijs subiectis non erunt attributa. Si enim aiant siue in totum, siue quadam ex parte, falsa erunt omnia: uerâ contrà, si utrouis modo negent.

Adhuc simplicium enunciationum ueritatem & falsitatem simpliciter spectauimus. Deinceps enuncia-

tiones inter se conferemus, ut quemadmodum & quot modis consentaneæ esse poßint & repugnantes, intelligatur. Affirmationem quidem definiuimus esse enũciationem, qua aliquid alicui conuenire diceretur: negationem eam, qua non conuenire. Hoc autem quatuor modis fieri licet. Nam & cõuenire aliquid cuipiam dici potest, quod cõueniat, & aliquid conuenire quod nõ conueniat: & conuenire aliquid cuipiam negari potest, quod ab eo absit: & quod non absit, in eum conuenire. Hæc exẽplis docenda sunt. Hac enunciatione, Homo est rationis particeps, homini ratio attribuitur, quæ ei cõuenit: Hac autem, Homo uolat, eidem uolatus conuenire dicitur, qui ei negatus est. Hac porrò, Homo non uolat, homini uolatus conuenire negatur, à quo etiam distat, abéstq; plurimum: hac uerò, Homo non est rationis particeps, in hominẽ ratio cadere, quæ cadit, negatur. Quæ cum ita sint, profectò, nec affirmatio ulla esse potest, cuius non sit contraria negatio: nec negatio, cui non affirmatio repugnet. Nam si dicã hominem esse animal, ei repugnabit ea quæ eum esse animal negabit. Et si quis hominem uolare dicat, ei contradicet qui eum negabit uolare. Sed quoniã id cui quid attribuitur, aut detrahitur, uel in rebus est uniuersis, uel in singulis (res autẽ uniuersas uoco eas quæ in multis rebus suapte natura dicuntur, ut homo: singulas quæ in una tantum, ut Socrates) res autem uniuersæ uel ex omni parte uel ex quadam & cõfirmari possunt & negari: & singulæ

Hō
Socrates

tantum sunt partes: certè tria genera enunciationũ repugnantium sint necesse est. Quod quò facilius intelligi posit, primum dicamus quæ sint repugnantes & contrariæ. Contrarias autem appello ἀντικειμένας, vt Cicero, eas quas oppositas alij vocant. Sint igitur contrariæ enunciationes, affirmatio & negatio eiusmodi, quæ ex verbis ijsdem, non ambiguis constent, remque eadem ex parte, eodem & modo & tempore cõprehendant. Cuiusmodi hæ sunt duæ, Omnis homo est rationis particeps, Nullus homo est rationis particeps. In his enim verba eadem sunt omnia, eaque simplicia, non ambigua: res eadem ex parte, eodem modo, in eodem tẽpore intelligũtur. Hæc autẽ omnia adeo necessaria sunt, vt si quid prætermissum sit, multæ quæ nõ sunt, contrariæ sint futuræ. Primũ enim debent esse eiusmodi, vt vna aiat, neget altera. Itaque hæ duæ nõ sunt contrariæ, Aristides iustus fuit, Aristides iniustus fuit, aut fuit non iustus. Deinde eadem verba esse debent, quæ quoniam non sunt in his duabus, Aristides est iustus, Aristides non est bonus, idcirco non sunt contrariæ. Progrediamur longius, aliasque duas constituamus in quibus priora vitia emendata erunt, sed alia nascentur. Constituamus has duas, Cancer serpit, Cancer non serpit. Negatio verè dicetur in sydere, & in morbo affirmatio. Proponi etiam possunt aliæ in quibus alia inerunt vitia, vt Oculus albus est, Oculus nõ est albus: in albugine affirmatio vera erit

Cõtrarie

Cancer serpit


oculus albus est

Cõtrariũ gnã 3.

in pupilla vera negatio. Eodem modo reliqua definitionis verba necessaria esse demonstrari potest. Quæ cum ita sint, retinenda est illa definitio. Statui etiã hæc breuior potest. Contrariæ sunt, affirmatio & negatio repugnantes, vt repugnantium nomine illa omnia intelligantur. Tria autem inter se contrariarum genera esse primum ex notis quæ adiunguntur rebus vniuersis intelligi potest. Aliter enim hæ duæ affectæ sunt, Omne bonum est laudabile, Nullum bonum est laudabile: aliter hæ, Omne bonum est laudabile, Non omne bonum est laudabile: aliter hæ, Aliquod bonũ est laudabile, Aliquod bonum non est laudabile, Non possunt autem aliæ iugatæ repugnare. Nam & hæ duæ Omne bonum est laudabile, aliquod bonũ non est laudabile, idem valet quod hæ, Omne bonũ est laudabile, Non omne bonũ est laudabile. & illæ duæ, Omne bonũ est laudabile, Aliquod bonum est laudabile: aut illæ, Nullum bonum est laudabile, Non omne bonum est laudabile, non repugnant, quoniam non sunt affirmatio & negatio. Deinde ex vi & natura repugnãtiæ id perspici potest. Cum enim repugnare aliqua dicuntur, id fit, aut quia simul vera & falsa, aut quia simul vera tantũ, aut quia simul falsa tantum esse nõ possunt. Neque enim quartũ esse vllũ potest. Hæc autem tria in his tribus reperiuntur. Quæ enim contradicentes sunt, nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Aduersæ simul veræ, quæ subcõtrariæ, simul fal

sæ esse nequeunt. Relinquitur ergo hæc tria genera repugnãtium esse retinẽda. De quibus singillatim dicendum est. Contradicentium duo sunt genera: vnum earum, quæ in rebus sunt vniuersis, aliæ quæ in singulis. Rerum vniuersarum contradicentes sunt enunciationes duæ ita contrariæ, vt quod vna ait omni ex parte, id aliqua ex parte neget altera: aut quod hæc vlli parti conuenire negat, id illa alicui conuenire confirmet. Sunt enim duo modi contradicendi, vnus cũ aliquis dicit, exempli causa, omnem voluptatem esse in bonis: & alter ei contrà dicit, Aliquam voluptatem non esse in bonis: aut quod idem efficit, non omnẽ voluptatem esse in bonis. Is enim voluptatẽ quæ ex stupro percipiatur opponet. Alter est, cum quis, vt in eodem exemplo maneam, nullam voluptatem bonum esse dicit, & alius contrà dicit, & cõtendit, Aliquã voluptatem bonum esse. Voluptatem enim quæ ex discẽdo percipiatur, honestam esse. In singulis autem rebus contradicentes sunt affirmatio & negatio ita cõtrariæ, vt id quod illa de rerum singularum aliqua dicat, hæc neget. Cuiusmodi hæ sunt, Socrates de cælo philosophiam moralem deuocauit, Socrates de cælo philosophiam moralem non deuocauit. Hæc autem contraria sic discrepant, quemadmodum iam dixi, vt vera aut falsa simul esse non poßint. Ita necesse est alterum verum esse, alterum falsum. Id quod Cicero confirmat in libro de fato, cuius locũ eo libentius pro-

Cõtradicẽdi m



ferã, quòd ea effata, quæ vulgo cõtradictoria vocãt, contraria nominat. Ratio igitur euẽtus aperit causam, sed ex æternitate vera fuit hæc enunciatio, Relinquetur in insula Philoctetes, nec hoc ex vero in falsum poterat conuerti: necesse est enim in rebus cõtrarijs duabus (Contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterũ negat.) Ex his igitur necesse est, inuito Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum, vt, Sauciabitur, omnibus antè seculis verum fuit: nõ sauciabitur, falsum. In iiij. etiam Academicarum plura ait discrepantia vera esse non posse, quod etiam de ijs intelligendum est quas aduersas vocaui, quoniam ἐναντία aduersa Cicero appellat, vulgo contrariæ nominãtur, de quibus dicendum est. Aduersæ sunt enunciationes duæ quæ sic repugnant, vt quod vna de toto genere dicit, id de eodem neget altera. Cuiusmodi sunt hæ, Omnis homo est rationis particeps, Nullus homo vel nemo est rationis particeps. Hæ non tam discrepant, quàm superiores. Possunt enim simul conuerti in falsum, si non ipsæ, at certè similes, quod satis est. Qui autem resistere volet, eum enunciationes ex accidente afferre oportebit. Quarum enim ea vis erit, vt simul falsæ esse non poßint, eæ omnes vel ex genere, vel ex proprio, vel ex definitione erunt, si modo sint naturæ rerum consentaneæ. Ita ab his solis præsidium erit petendum. Afferamus ergo duas eiusdem generis, quæ falsæ erunt, Omnis hõ est dialecticus, Nemo homo est

Aduersæ

dialecticus. Omnis homo iustus est, Nemo iustus est. Innumerabiles aliæ commemorari possunt, sed satis est id demonstratum esse, vnde erui depromíque possint. Reliquum est tertium genus contrariorum, quod vulgo subcontrariæ enunciationes vocantur, ob eam causam, quòd in quadrato in quo hæc genera describi solent, hoc genus infra aduersas, quæ contrariæ vocãtur, describitur. Eas definiamus licet hoc modo, Subcontrariæ sunt enunciationes quarum vna ait quid de parte, altera negat. Quales sunt hæ, Homo est rationis particeps, Homo nõ est rationis particeps: vel hæ, Aliquis homo est rationis particeps, Aliquis homo nõ est ratiõis particeps. Posterius exemplũ posui, propterea quòd Aristoteles priores ad contradicentium numerũ vult pertinere, vt hoc genus efficiat tertium. Hoc certè in disciplinis omnibus animaduerti potest, eas enunciationes quæ ex rebus vniuersis sunt, neque notã vllam habent, idem efficere quod eas quæ vniuersales vocantur: veluti hæc Epicuri apud Ciceronẽ enunciatio, Voluptas est bonum: & hæc, Dolor est malum, idem valent quod hæ, Omnis voluptas est bonum, Omnis dolor est malum. Hoc autem à superiore genere plurimum distat. Nam duæ contrariæ huius generis nunquam falsæ simul esse possunt: veræ autem, aut ipsæ, aut certè similes possunt. Tũ verò ipsæ falsæ simul esse non poterunt, cùm erunt ex genere, ex definitione aut ex proprio. Diximus enim negationes ex ijs

subcõtrariũ

in ijs esse quæ fieri nō poßint, quòd affirmationes sint necessariæ. Ita rursus ad enunciationes ex accidēte cōfugiendum erit, Aliquis homo est dialecticus, Aliquis homo non est dialecticus. Quidam homo est virtute præditus, Quidam homo nō est virtute præditus. Additur hoc loco genus quoddam enunciationum, quæ vulgo subalternæ vocantur, græcè autē ὑπάλληλαι nominantur ea forma, qua genera quædam dicuntur ὑπάλληλα, quòd vnum ab altero continetur. Subalternæ igitur eæ sunt enunciationes, quarum vna alteram complectitur. Cuius generis hæ duæ sunt, Omnis homo est rationis particeps. Aliquis homo est rationis particeps: & hæ, Nullus homo est rationis particeps, Aliquis homo non est rationis particeps. Harum enim ea vis est, vt prima secundam, & tertia quartam complectatur. Itaque ex duabus eam quæ continetur, ex altera consequi oportet, non contrá. Quod in his contingit, Si enim omnis homo rationis est particeps, etiam aliquis sit particeps necesse est. Et si nemo est particeps rationis, efficitur, vt aliquis non sit particeps. At contra, non si quis est rationis particeps, idcirco omnis homo est particeps. Neque enim si quis est dialecticus, continuo omnes erunt. Sed hæc omnia genera in tabula describi est melius.

subalterne

ADVERSAE

Omnis homo est rationis particeps — Nemo est rationis particeps

Subalternæ. — CONTRA DICENTES disparatæ. — CONTRA DICENTES seu — Subalternæ.

SVBCONTRARIAE

Aliquis homo est rationis particeps — Aliquis homo non est rationis particeps

Ex hac descriptione quemadmodum affecta sint inter se hæc quatuor enunciationũ genera, intelligi potest. Quod autẽ dixi, ex cõtrarijs, quas cõtradicentes seu disparatas voco, & ex aduersis, vnam veram, alteram falsam esse necessario, id de ijs intellectum volo, quæ sunt ex instanti & præterito tempore. Nam earum quæ de rebus futuris dicunt, non necesse est alteram certè veram esse vel falsam. certè autem dico id quod græci dicunt, ὡρισμένως aut ἀφωρισμένως. Sic enim vertit Cicero cum de rebus futuris & fortuitis in. 1. libro de diuinatione disputat. Nihil est enim tam contrarium rationi & constantiæ, quàm fortuna, vt mihi ne in deum quidem cadere videatur, vt sciat

quid casu & fortuitu futurum sit. Si enim scit, certè illud eueniet. Si certè eueniet, nulla fortuna est. Est autē fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla præsensio est. Atque hæc Cicero. Enunciationum ergo earum quæ de rebus futuris dicunt, non est vna certè, id est definite vera, aut certè falsa. Si enim esset definitè vera, non posset conuerti in falsum. Si non posset ex vero conuerti in falsum, definitè ita eueniret: ita necessitate fierēt omnia. At quædam res sunt quæ in alterutram partem cadere possunt. quo in genere sunt, primū res fortuitæ: deinde eæ quæ in nostra sunt potestate: postremo eæ quarum ea vis est & natura, vt & fiant & non fiant. De ijs enim rebus futuris hoc loco disputamus. Nam eæ futuræ quæ necessario eueniunt, vt cum dicimus, Cras sol orietur, Socrates morietur, naturam enunciationū ex præsenti, & præterito imitantur. certè enim euenient. *Hæc autem quò facilius intelligantur, ponenda est hæc partitio, vt dicamus enunciationum tam verarum quàm falsarum, partim certè veras, & falsas esse, partim non certè veras atque falsas. Certè veras & falsas eas primum omnes quæ ex præsenti & præterito sint: deinde eas quæ de rebus futuris naturæ instituto dicunt. Non certè futuras eas quæ de rebus futuris illæ quidem dicunt, sed quæ fortuitæ sint, aut in nostra potestate, aut quarum ea vis est, vt eueniant & non eueniant. Res autem fortuitæ sunt, quæ secus atque institueramus, eue-*

Res fortuitę

niunt. vt si ad aliquem vesperi adire constitui, illũ autem in via mane aliò interim proficiscens, inueniam, hæc enunciatio, Inuenies illum mane, de rebus futuris & fortuitis dicit, nec certè vera est, quoniam antè quam ille mihi factus esset obuiã, fieri poterat, vt non fieret. Res autem in nobis sitæ sunt, quæ consilio iudicióque nostro geruntur. vt si consilium capiam cras in Germaniam proficiscendi, hæc enunciatio, Hic cras in Germaniam pr̃oficiscetur, nõ est certè vera: quoniam fieri potest, vt mutem sententiam, aut maior potestas me impediat, ita non ibo in Germaniam. Ex quo perspicuum est, eam certè veram non fuisse. Res autem quarum vis ea est, vt & eueniant & non eueniant, eæ sunt, quibus natura non dedit vt vnum possent. Iis autem natura dedit vt vnum tantũ possent, quæ semper agunt. vt ignis semper accẽdit, sol semper lucet, cælum pulsu perpetuo agitatur. Itaque sol non potest lucere & non lucere: Terra non potest stare & non stare. Ignis non potest accẽdere, & nõ accẽdere. At gemma potest & frangi, & non frangi: vestis discidi & non discidi: vri, & non vri. Hæ igitur enunciationes, vestis hæc atteretur, gemma hæc non frangetur, Petrus cras non morietur: hæ inquam enunciationes nõ sunt certè definitéq; veræ, aut falsæ. Eæ autẽ enũciationes certè veræ & falsæ sunt, quæ in falsum aut verum cõuerti nequeunt. Sed de his accurate disputare non est huius loci & temporis. Eatenus enim

hoc loco à nobis postulanda sunt, quatenus ad veritatem eorum plane & dilucidè aperiendam satis est.

Enũciatiões simplices

Dixi enunciationes simplices esse eas, quibus veritas aut falsitas simpliciter spectatur, non ex adiunctione. Alio modo simplices vocantur eæ, quarũ verbum simplex est, nullàque nota insignitum est harum præsertim quatuor, necessario vel necesse, fieri potest, fieri non potest, accidit. Non simplices sunt, in quibus illarum notarum aliqua ponitur. vt necesse est discere eum qui velit doctus esse. fieri potest vt virtus alicui obsit. fieri non potest, vt cælum non moueatur. Accidit sæpe vt res non cedant ex animi sententia. Atque hæ quidem & simplices dicuntur, & non simplices, sed alia atque alia ratione. Quo autem modo inter se affectæ sint, id est quemadmodum contrariæ inter se efficiantur, videamus. Omnes efficiuntur, vt superiores, nisi quòd notæ adiungenda, nõ verbo, negatio est. vt omnis homo necessario est animal, Omnis homo non necessario est animal. Omnis homo iustus esse potest, Omnis homo iustus esse non potest. Contingit vt omnes senes discant, Non contingit vt omnes senes discant. Atque hæ quidem disparatæ sunt, seu contradicentes. Aduersæ autẽ hæ, Omnis homo necessario est animal, Omnis homo necessario nõ est animal. Omnis homo iustus esse non potest, Omnis homo iustus non potest nõ esse. Subcontrariæ sequuntur, Omnis hõ potest esse animal, Omnis homo potest non esse animal,

Nõ simplices

Aduersæ

subcontrariæ

Omnis homo iustus esse potest. Omnis homo iustus potest non esse. Contingit vt omnis senex discat, Contingit vt omnis senex nō discat, Aristoteles quartum genus addit ex τοῦ ἀδυνάτου, sed quoniam, Non impoßibile est hominem esse album, & impoßibile est, non ita latini sermonis consuetudo patitur, vt græci οὐκ ἀδύνατον & ἀδύνατον, id mihi prætermittendum putaui. Qui autem eo vti volet, indicaui. Harū autem enunciationum contrariarum eædem sunt leges discrepātiæ quæ superiorum. Describi autem hoc quadrato concludique poßunt.

CONTRARIAE

Omnis homo necessario est animal.	Omnis homo necessario nō est animal.
Omnis homo iustus non potest non esse.	Omnis homo iustus esse nō potest.

SVBALTERNAE

CONTRADICENTES

CONTRADICENTES

SVBALTERNAE

SVBCONTRARIAE.

Omnis hō potest esse animal	Omnis hō potest non esse aīal.
Omnis hō iustus esse potest	Omnis hō iustus potest nō esse.
Cōtingit vt oēs senes discant	Cōtingit, vt oēs senes nō discāt.

Ergo hoc quidem perspicuum est, hos modos necessario, necessario non: vel necesse est, & necesse est non, esse aduersos: hos autem contradicentes, necessario, & non necessario. Subcōtrarios autem hos, fieri potest, & potest non fieri Hæ autem notæ quemad modum inter se affectæ sint consyderemus. Necesse quidem & fieri non potest, aduersa sunt: necesse est, & fieri potest vt non sit, contradicentia: & fieri non potest ac fieri potest. Subcontraria autem hæc, potest fieri vt sit, & fieri potest vt non sit. Hoc subiecta docebit descriptio.

CONTRARIAE.

Necesse est quicquid natum est interire — Fieri non potest vt quicquid natum est intereat.

SVBALTERNAE — CONTRA DICENTES — CONTRA DICENTES — SVBALTERNAE

SVBCONTRARIAE.

Fieri potest vt quicquid natum est intereat — Fieri potest vt quicquid natum est non intereat.

Atque hæ quidem enunciationes cõtrariæ siue oppositæ appellãtur, non quòd sunt affirmatio & negatio contrariæ, sed quia notæ ipsæ faciunt, vt eodem modo pugnent inter se, quo superiores. Veritas autem & harum & superiorum ex significatione notarũ æstimanda est. Si enim veræ sunt, ita res h[...] [...]e debent, vt notæ significant. vt hac enũciatione, [N]ecesse est omne quod ortũ sit aliquando interire, non solum significatur omne interiturum quod natum est, sed fieri non posse quin intereat. Ita si illa sit vera, sit necessaria oportet hæc enunciatio, Omne quod natum est, occidet. Eadem est ratio cæterarum. Ea enim quæ de rebus dicit quæ fieri non possunt, vera est tum denique, cũ eæ res fieri non possunt. Nam si fieri poßint, affirmatio falsa erit, vera negatio. Harum autem omnium cum in alijs plerisque rebus, tum in præteritis & futuris, de quibus paulo ante dixi, vsus est plurimus. Quæri enim solet, num ex neceßitate fiant quæcunque fiunt? num si quis in mari mortuus sit, eum necesse fuit ibi mori? An quicquid futurum est, id necesse sit fieri? aliæque innumerabiles quæstiones quæ omnium in philosophia sunt difficillimæ, ex his rebus oriuntur: quæ quidem nullo modo explicari possunt, nisi quæ res fieri poßint, quæ non fieri, quæ necessario fiant, definitione aperiatur. Necesse est quidem ea fieri, quæ nunquã possunt non fieri, vt necesse est cælum moueri. Ea autem contrà fieri non possunt, quæ nunquã esse possunt.

Quæstio

Q necessaria sint fieri, ut nõ fieri

Inter has sunt locatæ aliæ, quæ nec necessariæ sũt, nec, vt ita dicam, impoßibiles, ἐνδεχόμεναι ab Aristotele dicuntur, Fortuitæ à nobis dici possunt, de quibus satis multa iã dixi. Res autẽ eæ fieri possunt, vel quæ sunt iã, vel quas fieri nihil repugnat, etiam si non sint futuræ. Duo autem sunt genera & rerum necessariarum, & earum quæ fieri non possunt. Quædam enim omnino, simpliciter & absolutè necessariæ sunt, vt hominem interire, cælum moueri. Aliæ autem ex adiunctione, quam conditionem vocãt, vt dormire eum qui dormit, quandiu dormit necesse est, & spirare hominem quandiu viuit. Eodem modo absolutè aliquid fieri non potest, vt homo volare nullo modo potest: aliud ex adiunctione fieri non potest, vt homo cũ dormit ex adiunctione vigilare nõ potest. Qui Romæ est, eodem tempore non potest esse in Gallia. Ita quod nõ potest fieri ex adiunctione, nõ pugnat cũ eo quod fieri potest. De his autẽ rebus subtilius alias disputabimus.

Rerũ necessariarũ duo sũt gñã

Nunc ante quàm ad coniuncta enunciata venio, de enunciationibus quæ conuersione, aut adiectione idem quod eæ quas adhuc tractaui, efficiunt & valent, dicendum videtur. Nam quoniam omnis enunciatio aut vera aut falsa est, & de omni dicere institui, hoc genus prætermittere non debeo. Duo quidem genera sunt earum quæ idem declarãt, quod superiores. Nã aut adiũctione negationis, idẽ valẽt, aut verborũ cõuersione. Primũ de adiunctione dicamus. Hæc au-

tem disciplina tribus his præceptis constat. Propositis duabus disparatis seu contradicentibus enunciationibus, si alterutri adiungatur in capite negatio, idem efficient. Constituamus enim has duas, Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal, præponamusque priori non negationem, tum hæc enunciatio, Non omnis homo est animal, idem quod illa efficiet, Aliquis homo nō est animal: aut si huic præponamus idē quod illa declarabit, vt, Non aliquis homo nō est animal, &, Omnis homo est animal. Proponamus rursum has duas, Aliquis homo est animal, Nullus homo est animal, non negatione alterutri præposita, idē fiet. Nam hæ duæ idem valent, Nonnullus homo animal est. Aliquis homo animal est. & hæ, Non aliquis homo animal est, & Nullus homo animal est. Vsitatius est autem ijs negationem præponere, quæ de toto genere vniuersè dicunt. Neque enim admodū tritum est hoc dicendi genus, Non aliquis homo est animal. Atque hoc etiam in ijs verè dicitur quæ ex eo quod necesse est, aut quod fieri potest aut non potest constāt. Hæ enim duæ, Necesse est cælum moueri, & fieri potest vt cælum nō moueatur, sunt disparatæ & contradicentes, quarum si alterutri non negationem in initio adiungas, idem ambæ valebunt. Hæc enim, Nō necesse est cælum moueri, idem quod illa, fieri potest vt cælum non moueatur, efficit: & hæc, fieri non potest, vt non moueatur cælū, idem quod illa valet, Ne-

cesse est cælum moueri. In his autem non ita est, vt in superioribus. Nam vtrunque genus etiam apud oratores tritum est. Prius illud perspicuum est. De posteriore autem, quis ita non loquitur? Non possum nō deplorare vitæ humanæ calamitates. Atque de primo præcepto hactenus. Secundum autem est, Propositis duabus aduersis siue contrarijs enunciationibus, si alterutri negatio postponatur, id est subiungatur, idem valebunt. Hæ enim duæ idem declarant, Omnis homo nō est animal, & Nullus homo est animal: Itemque hæ duæ, Omnis homo est animal, Nullus homo non est animal: cum hæ duæ sint aduersæ, Omnis homo est animal, Nullus homo est animal. In ijs etiam quæ modales vocantur, idem vsuuenit. Nam hæ contrariæ sunt, Necesse est cælum moueri, &, Cælum moueri nō potest, quarum alterutri si postponas negationem, idem efficient. Nam & hæ duæ, Necesse est cælum moueri, Cælum non potest non moueri: & illæ, Necesse est cælum non moueri, Cælum moueri non potest, eandem vim habent. Tertium præceptum, Si duæ enunciationes quæ subalternæ vocantur, proponatur, earumque alterutri ita gemina adiungatur negatio, vt vna in principio locetur, altera in medio, idem declarabunt. Vt si his duabus, Omnis homo est animal, Aliquis hō est animal: vel his, Nullus hō est animal, Aliquis homo animal non est, vtroque loco negatio adiungatur, eādem vim habebūt. Nam & hæ duæ,

oīs hō nō est aīal.

Modales

subalterne

Omnis homo est animal, Non aliquis homo non est animal: & hæ duæ, Non omnis homo non est animal, Aliquis homo est animal: itémque hæ duæ, Nonnullus homo non est animal, Aliquis homo non est animal, idem ualent. Eadem est ratio earum, quæ Modales nominantur. Constituantur enim hæ duæ ὑπάλληλαι, id est, quæ inter se ita affectæ sunt, ut una alterã complectatur, Necesse est cœlũ moueri, Cœlum moueri potest: earúmq; alterutri duæ, ut dixi, negationes addantur, profecto idem ualebunt. Hæ enim duæ idem efficiunt, Necesse est cœlum moueri, Cœlum non potest nõ moueri: & hæ duæ, Non necesse est cœlum nõ moueri, Cœlum moueri potest. Quod etiam in his contingit, Cœlum impossibile est moueri, Cœlum non moueri potest. Nam hæ duæ, Cœlum non impossibile est non moueri, Cœlum potest non moueri, idem efficiunt & declarãt. Earum autem quæ subcontrariæ uocantur, nullum præceptum tradi potest. Nam cum hoc uis negationis sola efficiat, negationes autem non plures quàm duæ enunciatis nouæ adiungi possint, quæ iam his additæ sint, cũ alijs duabus compararentur, nec ex earum adiunctione uis eadem earum secuta sit (neque enim hæ duæ idem efficiunt, Non aliquis homo animal non est, Aliquis homo animal non est: aut hæ, Aliquis homo est animal, Non ullus homo non est animal) certè nihil certi de his potest præcipi. Præcepta autem hæc tria facile demonstrari possunt. Quem ego laborem, ut minus hoc loco

necessarium, prætermitto, ne de aliorum ingenijs uidear diffidere. Illud autem admonebo, si quis hæc omnia in unaquaq; nota dicat posse contingere, eum uehementer errare. Nam cū necesse est, ut de hac potißimū loquar, & non necesse est, aientia sint & negantia, id est contradicentia, si præponatur negatio, eædem erunt enunciationes. Hæc enim duo pronunciata, Necesse est omne quod natum est interire, Nō necesse est omne quod natum est interire, cōtradicentia sunt: quarum alteri, id est affirmationi, si negatio adiūgatur, eædem prorsus erūt, ut hæ, Non necesse est omne quod natū est interire, & non necesse est omne quod natū est interire. Nam cū de enunciationibus quæ idem ualeant, disputatur, nō quæruntur enunciationes quæ negationis adiectione uel detractione eædē sint omnino, sed quæ nec eædem sint, id est, quæ nō ijsdē omnino uerbis cōstent, & altera alteri sit cōsequens. Quæ autem hoc loco proferūtur à nobis, quia eædē sunt, ijsdēq; uerbis cōstent: nō ita idē ualere, ut hoc loco postulatur, existimādæ sunt. Hæc autē quo facilius intelligi poßint, in tabula describenda curaui.

★ *Vitanda sunt autem in ijs enunciationibus quæ ex necessario alijsq; notis erunt, barbara uocabula, cuiusmodi sunt hæc, Poßibiliter, Impoßibiliter, Contingenter. Nam nec latina sunt, nec eis latina respondent. Itaque uerba pro his usurpāda sunt necessariò. ut, Cælum moueri potest, non, Cælum poßibiliter mouetur. Item hoc modo, Fieri potest ut moueatur cælum. Tribus mo-*

Poßibiliter
impoßibiliter
Contingenter

dis ex necessario enunciationes efferre possumus, ut cælum mouetur necessario, & cælum necesse est moueri, & cælum moueatur necesse est. Quæ enunciationes idem ualeant, & quemadmodum effici posit, ut idem efficiant, & declarent adiectione, diximus. Has æquipollentes uocant, idem efficientes, ualentes & declarantes, ut Cicero, appello. Sequitur ut de ijs quæ idẽ ualent cõuersione dicam. Conuersionem appello quam Aristoteles in analyticis prioribus ἀντιστροφὴν nominat: quæ quoniam & in enũciationibus spectatur, & in argumẽtationibus, de ea solum hoc tempore dicam, quatenus in enunciatis uersatur. Est igitur cõuersio, ordinis uerborum quibus enunciatio constat, in præposterum præterquam notarum mutatio. ut hæc enunciatio, Nulla uoluptas est bonum, habet certũ ordinem, quem si hoc modo mutem, Nullum bonum est uoluptas, erit conuersio. Hoc autem intelligendum est, enunciationes quasdam esse quæ recto ordine & cõuerso idẽ efficiãt omnino, alias quæ non efficiant. Idem efficiunt primum eæ quæ ex parte aiunt. Vt hæ, Quidam amor obscœnus est. Quiddã obscœnum est amor. Deinde idem ualent eæ quæ negant omni ex parte. ut hæ, Nulla simulatio uirtus est, Nulla uirtus est simulatio. Atque hæc præcepta generalia sunt. Generalia nõ sunt quæ sequũtur. Enunciationes quæ de toto genere uniuersẽ dicunt, non idem semper declarant recto & conuerso ordine. Interdum enim idem efficiunt, interdum non efficiunt.

Æquipollentes

Conuersio

Idem efficiunt eæ omnes, quæ sunt ex proprio & definitione, ut hæ, Omnis homo est ridens, Omne quod est ridens est homo: & hæ, Omnis homo est animal rationis particeps, Omne animal rationis particeps est homo.
Non idem ualent quæ ex genere & accidente existũt. Cuiusmodi hæ sunt, Omnis homo est animal, Omne animal est homo. Omnis cygnus est albus, Omne quod est album est cygnus. Omnis coruus niger est, Omne quod nigrum est, est coruus. Eadem est ratio earum quæ negãt ex parte. Aliæ enim idem ualent, aliæ aliud. Idem declarant quæ sunt ex accidente, quod multis formis conuenit, ut hæ, Aliquis homo non est albus, Aliquid quod album est, non est homo. Nam si ex accidente cõstant, quod uni tantum formæ conuenit, ut doctrina soli homini, aut ex genere, non idem ualebunt. ut hæ non idem efficiunt, Aliquis homo non est eruditus græcis literis, Aliquis qui est eruditus græcis literis non est homo. Aliqua iustitia nõ est uirtus, Aliqua uirtus nõ est iustitia. Negationes etiam ex rebus singulis eodem modo se habent. Atque hæ sunt enunciationum simplicium quæ idem ualent conuersiones. Non simplices autem, quas modales nominant, idémne ualeant recto & cõuerso ordine, uideamus. Efficiunt idem eæ omnes utroq; ordine quæ ex necessario sunt, & ex omni parte negant, ut hæ duæ, Nullus homo necessariò est lapis, Nullus lapis est homo necessario. Quæ autem uniuersè aiunt quid, si sint ex proprio & definitione, idẽ ua-

lebunt. Cuiusmodi hæ sunt duæ, Omnis uirtus eũ in quo est, necessario bonum efficit, Quod necessariò bonum efficit eum in quo est, id uirtus est. Et hæ duæ, Necesse est omnem hominem esse animal rationis particeps, Necesse est omne animal rationis particeps hominem esse. Si autem sint ex genere, aut accidente, nõ idem declarabunt. Neque enim hæ duæ idem ualent, Omnis homo necessariò est animal, Omne animal necessario homo est: nec hæ, Omnis coruus necessario niger est. Quicquid est nigrum, coruus est necessarió. Quæ autem quadam ex parte aiunt, idem ualent quacunque de re sint, ut hæ, Aliquis homo necessariò animal est, Aliquod animal necessario est homo. Aliquis cygnus albus est necessario, Aliquid quod album est, cygnus sit necesse est. Cum autem uel aio, uel nego aliquas enunciationes idem efficere, tam ueras quàm falsas intelligo. At eæ quæ ex parte negant, si ex proprio & definitione, & accidente communi sint, idem efficient: ut hæ duæ, Necesse est aliquem hominem non esse natũ ad percipiendas artes, Necesse est aliquid quod ad artes percipiendas natum est, non esse hominem. Si autem sint ex genere & accidente quod uni tantum formæ conueniat, non idem ualebunt. Vt hæ non idem declarant, Necesse est aliquem hominem non esse animal, Necesse est aliquod animal non esse hominem. Prior enim falsa est, posterior uera. Si autem sint ex eo quod fieri potest, atque aiant ex parte, idem ualebunt,

quacũq; de re ſint. Hæ enim idẽ declarãt, Homo poteſt eſſe albus, Aliquid quod album eſt, eſſe homo poteſt. Si autẽ omni ex parte aiant, ſolum idẽ ualebũt eæ, quæ erunt ex proprio & definitione. Quæ enim ex genere aut accidente ſunt, non idem efficiunt. Cuiuſmodi hæ ſunt, Omnis homo animal eſſe poteſt, Omne animal eſſe homo poteſt. Omnis homo albus eſſe poteſt, Omne quod album eſt, eſſe homo poteſt. Eadem eſt ratio earum quæ ex cõtingenti ſunt, cum id contingere dicitur, quod tam poteſt euenire quàm nõ euenire. Quod facile eſt & ad intelligendum, & ad probandum. In negãtibus non eſt eadem ratio, ſed in ijs demum, quæ ex ijs ſunt quæ fieri non poſſunt, & ex accidente quod non ſæpe ineſt. Vt hæ idem ualent, Fieri poteſt ut homo nõ ſit lapis, Fieri poteſt ut lapis non ſit homo. Fieri poteſt ut ueſtis non ſit nigra, Fieri poteſt ut quod nigrum eſt, non ſit ueſtis. Quod etiam de toto genere uerè dicitur. In ijs autem accidentibus quæ plerũq; conueniunt, aut in ijs quæ natura, ſolæ eæ ex contingenti enunciationes quæ partem totius negant, utroq; ordine idem efficiũt: ut hæ duæ, fieri poteſt, ut homo in ſenectute non caneſcat, Fieri poteſt, ut quod in ſenectute caneſcit, non ſit homo. Atque hæc eſt Ariſtotelis ſententia. Ego autem non uideo cur ſi eæ quæ partem negant, idem ualeant, eæ etiam non ualeant quæ totum negant. Si enim duæ ſuperiores idem declarant, hæ etiam duæ, fieri poteſt ut nemo in ſenectute caneſcat, Fieri poteſt ut nihil eorum

quæ in senectute canescunt, homo sit, idem declarēt necesse est. Nam si priores idem ualent propterea quòd nō est, ut uult, necesse hominem in senectute canescere, ob eámq; causam fieri potest ut non canescat: posteriores quoque eadem ratione idem ualebunt. Nam negationes quæ ex eo sunt quod fieri potest, si totum negent idem utroq; ordine semper efficiēt: si autem partem negent, non semper. Nam si sint ex genere, non idē ualebunt. Neque enim hæ duæ idem declarāt, Fieri potest ut aliquis homo non sit animal, Fieri potest ut aliquod animal non sit homo. Prior enim falsa est posterior uera. Sed hæc fortaßis plerisq; accuratius et subtilius persequi uidebimur. quibus hoc respondemus, si subtilitatem cum utilitate conferant, eos nobis fore æquiores. Nam cùm in eo primum & maxime dialectica cernatur, ut uerum à falso distinguamus, non est dubium quin facilè capiamur disputantes cum alijs, nisi quæ enunciationes idem ualeant quod propositæ, quæ non idem efficiant, intelligamus: quam nobis facultatem suppeditabit ea quam adhuc præscripsi disciplina.

Hoc autem loco ad enunciationum, ut admonui, ueritatem & falsitatem, conuersionum ratio omnis, non ad argumentationem accommodanda est, ne ante tempus de argumētis differere cogamur. Cum quid quāq; rem sequatur, docebimus, tum de illa enunciationum, seu conuersione, seu reciprocatione dicemus. Sed hic locus admonet, ut deinceps de pronūciatis copulatis, quæ

ὑποθετικὰ uocantur, differamus. Nam cum de enunciationibus instituerem disputare, duo eius genera esse dixi, alterũ quod κατηγορικὸν græci, ego simplex uoco, de quo adhuc dixi: alterum ὑποθετικὸν quod copulatum Cicero uocaret. Est autem enũciatio copulata, ea quæ ex multis simplicibus adiuncta aliqua coniunctione constat, ut hæ, Si homo est, est rationis particeps. Aut dies est, aut nox est. Homo & animal est, & rationis est particeps. Eius enim tria tantum genera inuenio, connexum, coniunctionem, & disiunctionem. Connexum est ea enunciatio, in qua si coniunctio (cõditionalem uocant) adiungitur. Coniunctio, in qua &, aut similis adhibetur. Disiunctio ea, in qua uel, aut, ue ponitur. Cõiunctionem, uulgo copulatiuam: disiũctionem, disiunctiuam nominant. Cicero iisdem eas quibus ego nominibus appellat. In libro enim de fato scribit his ferè uerbis, Etenim si illud uerè connectitur, Si oriente Canicula natus est, in mari non morietur: primũq; quod est in connexo, Natus est oriente canicula, necessarium est. Paulo post sequitur interiecta sententia, Si igitur quod primum in eo cõnexo est necessarium est, fit etiam quod consequitur necessarium. Connexũ uocat, id quod conditionalem uocant hodie Dialectici. Eodem libro coniunctionem uocat, eam quam copulatiuam nominant. Ergo hæc quoq; coniunctio est ex repugnantibus, Et est Fabius, & in mari Fabius morietur. Disiunctionem etiam uocat eodem libro, quam disiun-

Enunciatio hypotetica

ctiuam nominant, Nisi fortè uolumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enunciationes nec ueras, nec falsas esse dicunt: aut cum id pudet, illud tamen dicunt quod est impudentius, ueras esse ex contrarijs disiunctiones: sed quæ in ijs enunciata essent, eorum neutrum esse uerum. In Topicis, Reliqui dialecticorũ modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant, Aut hoc, aut illud, hoc autem, non igitur illud. Sunt etiam multa alia genera, sed quia de superioribus ferè Dialectici disputant, non in hoc numero reponuntur. Eius generis hæ sunt, Quia sol lucet, dies est. Etsi homo albus non est, non tamen niger est: prior enunciatiõ causalis, posterior aduersatiua nuncupatur. Addunt nonnulli rationalem, ut, homo est animal, igitur est: sed uehementer errant mea quidẽ sententia. Neque enim enunciatio ulla dicẽda est, quæ non poßit esse in argumentatione propositio, quod in hac minime cõtingit. Additur eodem hæc, Cum dies est, sol nobis accendit. Quas si probemus, infinitæ aliæ probandæ erunt, quæ ex aduerbijs constabunt & nominibus. Cuiusmodi hæ sunt, Quod est in mari trãquillitas, id est in aëre serenitas. Ut auis ad uolandum nata est, sic homo ad agendum. Qualis est hominis oratio, talis est homo. Quæ si non placent, retinendæ illæ tres sunt formæ, quas Ciceronem secutum uidemus. Reliquæ aut repudiandæ sunt, quia dialectici eas non probant: aut certè ad has reuocandæ sunt. Error multor.

De ueritate autẽ earũ dicendũ est. Connexum qui-

dem uerum est, cum priore concesso, posterius necesse est cōcedere. Id Cicero docet in lib. 4. Academicarum quæst. Hæc Chrysippea sunt, ne ab eo quidem dissoluta. Quid enim faceret huic conclusioni? Si lucet, lucet: lucet autē, lucet igitur. Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Falsum contrà connexum est, cùm superiore concesso, non necesse est dare inferius, ut, Si homo currit, mouetur, uerum est: contrà falsum, Si homo mouetur, currit. In his autem uel utraq; enūciatio ait, uel utraq; negat, uel prior ait, & posterior negat: uel cōtrà posterior, ait & prior negat. Primū quidē genus ita deniq; uerum erit, si in priore enunciatione species aut indiuiduū, in posteriore eius genus collocetur, ut, Si homo est, animal est. Si currit, mouetur. Si sentit, iudicat. Idē fiet, si priore loco ponatur id quod definitur, & posteriore definitio. Tale est exemplum illud Ciceronis in tertio Academ. quæst. explicatum: Si homo est, animal est mortale rationis particeps. Quod etiam contra ualet. Eadem est ratio propriј & speciei cuius est proprium. In accidentibus autē hoc nihil ualet, nisi in ijs quæ natura semper cōueniunt, ut in his, Si homo est, natus est. Si homo est, interibit. Si animal est, alitur. Verum autē connexum duarum negationum erit ex superioribus omnibus, præterquam ex genere & accidente. Hæ enim ueræ sunt, Si non est homo, non est animal mortale rationis particeps. Si non est homo, non est ridens. In

accidente autem falsæ sunt, ut, Si non est homo, non interibit. Si non est homo, non alitur, nec augescit. Hoc etiã, Si non est homo, non est natus, falsum est, & eiusdem generis omnia, propterea quòd ij qui nulli sunt, & fuerunt, etiam nati sunt, quanquam non sint hoc tempore. In ijs uero quæ ex genere constabunt, genus priore loco ponendum est, ut sit uerum connexum. Vt, Si non mouetur, non currit. Si non est animal, non est homo. Si non est uirtus, non est iustitia. Quòd si prior enunciatio aiat, & posterior neget, tum deniq; uerum erit cõnexum, cum utraq; ea quæ diuersorum generum sunt, si modo sint substantiua, complectetur, ut si homo est, non est lapis. Si homo est, non est qualitas. In contrarijs etiam hoc ualet, ut, Si ualet, non ægrotat: Si dies est, nox non est. Si bonus est, non est malus. Nam ea connexa, quæ ex genere, & specie sunt, ex definitione, & re quæ definitur, ex proprio & specie cuius est proprium, non sunt uera, sed falsa. Vt hæ, Si homo est, non est animal. Si homo est, nõ est animal rationis particeps. Quæ autem connexa ex accidente constant, primum si sint ex contrarijs, uera erunt omnia, ut dixi, deinde si ex ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut, Si pater est, non est filius. Si similis est, nõ est is cui est similis. Si uero superius neget enunciatũ, inferius aiat, connexa erunt uera sola ex repugnantibus, cũ res proponẽtur, quibus attributa natura cõueniunt. Si non est nox, dies est. Si non ægrotat animal, ualet. Si non dormit, uigi-

lat, Si non est expers rationis, eius est particeps. Repugnantia autem sunt ea, quæ non possunt unà eidem cõuenire, ita tamen, ut alterutrum cõueniat necessario. Ea partim in genere, ut differentiam generi attribuamus, partim in accidente reperiuntur. In his autem rem esse ponimus. Aliter enim falsa erunt connexa eius generis omnia. Vt hoc, Si hippocentaurus nõ est expers rationis, est eius particeps, falsum est, & cætera generis eiusdem. Nam quoniam omne effatum aut uerum aut falsum est, & hoc falsum est, Hippocentaurus est expers rationis, uerum sit contrarium seu disparatum hoc necesse est, Hippocentaurus non est rationis expers. In connexis autem nulla alia reperitur repugnantia, quàm disparatorum & contradicentium. Fiunt autem contradicentia, ut in alijs, adiuncta primo loco nõ negatione. Vt hæc duo connexa disparata sunt, hoc Epicuri, Si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene uiuẽdum: & hoc Ciceronis ex secundo de finibus, Non si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene uiuẽdum. In libro de optimo genere interpretandi in secundo membro docui propterea cõtinuo, & idcirco à Cicerone poni solere, ut si dicamus hoc modo, Si canis in biuio utram lepus uiam ingressus sit, indagando inuenit, ratiocinatur, ita licebit contradicere, Non si canis in biuio utram lepus uiam ingressus sit, indagando inuenit, idcirco, uel propterea, uel continuo ratiocinatur. Quintilianus in hoc genere ideo addit, ut in primo li-

bro, Nec si quid discere satis nõ est, ideo necesse nõ est. Loquitur de primis elementis. Hac autem enunciatione connexa, in qua primo loco negatio adiungitur, nihil aliud docetur, nisi in contraria non necessario effici inferius, superiore concesso. Vt illud Quintiliani quod paulo ante protulimus, hoc unum declarat, hoc connexum uerum non esse, Si quid discere satis non est, id necesse non est discere. Neque enim priore concesso, posterius cogimur concedere. Primas enim literas necesse est ei discere qui doctus esse uelit, cum interim non satis sit eas discere: aut contrà, primas literas satis non est discere, & tamen eas discere necesse est. Hoc dicendi genus planè & dilucidè explicaui, quòd multos esse scio, quibus non est satis cognitum. Connexo etiam repugnat negantia quæ constat ex etsi, tametsi, quanquam, alijsq; eiusdem generis coniunctionibus. Vt hæc duo sunt contraria, Si dolor est malum, carere dolore satis est ad bene beateq; uiuendũ, &, Si malum est dolor, tamen carere dolore nõ satis est ad bene beateq; uiuendum. Sed de connexis hactenus. Nunc de coniunctionibus dicendum est. Cõiunctiones ueræ sunt eæ, quarũ utraq; pars uera est. Falsæ autem quarum uel alterutra pars falsa est, uel utraq;. Nam cum dico, cælum & rotundum esse, & uolui, si alterutrum sit falsum, falsa etiã erit cõiunctio. In coniunctionibus sola ea oppositio reperitur, quæ uulgo contradictio dici solet. Negationes autẽ primo loco adiunctione fiunt disparatæ seu contradicen- Coniunctiões

lat, Si non est expers rationis, eius est particeps. Repugnantia autem sunt ea, quæ non possunt unà eidem cõuenire, ita tamen, ut alterutrum cõueniat necessario. Ea partim in genere, ut differentiam generi attribuamus, partim in accidente reperiuntur. In his autem rem esse ponimus. Aliter enim falsa erunt connexa eius generis omnia. Vt hoc, Si hippocentaurus nõ est expers rationis, est eius particeps, falsum est, & cætera generis eiusdem. Nam quoniam omne effatum aut uerum aut falsum est, & hoc falsum est, Hippocentaurus est expers rationis, uerum sit contrarium seu disparatum hoc necesse est, Hippocentaurus non est rationis expers. In connexis autem nulla alia reperitur repugnantia, quàm disparatorum & contradicentium. Fiunt autem contradicentia, ut in alijs, adiuncta primo loco nõ negatione. Vt hæc duo connexa disparata sunt, hoc Epicuri, Si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene uiuẽdum: & hoc Ciceronis ex secundo de finibus, Non si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene uiuẽdum. In libro de optimo genere interpretandi in secundo membro docui propterea cõtinuo, & idcirco à Cicerone poni solere, ut si dicamus hoc modo, Si canis in biuio utram lepus uiam ingressus sit, indagando inuenit, ratiocinatur, ita licebit contradicere, Non si canis in biuio utram lepus uiam ingressus sit, indagando inuenit, idcirco, uel propterea, uel continuo ratiocinatur. Quintilianus in hoc genere ideo addit, ut in primo li-

bro, Nec si quid discere satis nō est, ideo necesse nō est. Loquitur de primis elementis. Hac autem enunciatione connexa, in qua primo loco negatio adiungitur, nihil aliud docetur, nisi in contraria non necessario effici inferius, superiore concesso. Vt illud Quintiliani quod paulo ante protulimus, hoc unum declarat, hoc connexum uerum non esse, Si quid discere satis non est, id necesse non est discere. Neque enim priore concesso, posterius cogimur concedere. Primas enim literas necesse est ei discere qui doctus esse uelit, cum interim non satis sit eas discere: aut contrà, primas literas satis non est discere, & tamen eas discere necesse est. Hoc dicendi genus planè & dilucidè explicaui, quòd multos esse scio, quibus non est satis cognitum. Connexo etiam repugnat negantia quæ constat ex etsi, tametsi, quanquam, alijsq; eiusdem generis coniunctionibus. Vt hæc duo sunt contraria, Si dolor est malum, carere dolore satis est ad bene beatéq; uiuendū, &, Si malum est dolor, tamen carere dolore nō satis est ad bene beatéq; uiuendum. Sed de connexis hactenus. Nunc de coniunctionibus dicendum est. Cōiunctiones ueræ sunt eæ, quarū utraq; pars uera est. Falsæ autem quarum uel alterutra pars falsa est, uel utraq;. Nam cum dico, cælum & rotundum esse, & uolui, si alterutrum sit falsum, falsa etiā erit cōiunctio. In coniunctionibus sola ea oppositio reperitur, quæ uulgo contradictio dici solet. Negationes autē primo loco adiunctione fiunt disparatæ seu contradicen-

Coniunctiōes

tes coniunctiones. Hæ enim duæ disparatæ & contrariæ sunt, Et legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia. Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia. Eam cui adiuncta est negatio, appellat Cicero in Topicis coniunctionum negantiam. Itaque eodem nomine appellemus licet. Eius uerba tum proferam, cum de ratiocinationibus quæ ex his propositionibus cõstant, disputabo. In libro de fato eandem uocat coniunctionum negationem, Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos, cæterósque diuinos, neque eos usuros esse cõiunctionibus, ut ita sua percepta pronuncient, Si quis natus est oriente canicula, is in mari non morietur: sed potius ita dicant, Non & natus est quis oriente canicula, & is in mari morietur. O licentiam iocularẽ, ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, si Chaldæi ita loquantur, ut negationes infinitarũ coniunctionũ potius, quàm infinita connexa ponant: cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere nõ possunt? Infinitas autẽ coniunctiones, & infinita cõnexa uocat Cicero ea, in quibus nõ certa persona aut res, sed incerta & indefinita ponitur. Negatio autem coniunctionum nihil aliud declarat, nisi coniunctionem complecti quædam quæ pugnent inter se. Cum enim ita dico, Non & homo est, & nõ uiuit: hoc significo, hæc duo repugnantia esse, & hominem esse, & nõ uiuere. Hoc Cicero in libro de fato indicare uidetur

his uerbis, Si enim uerũ est, quod ita cõnectitur, Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur, illud quoq; uerum est, Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur hæc inter se, Fabium oriente Canicula natũ esse, & Fabium moriturum in mari esse. & quoniam certum in Fabio ponitur, natum esse eum Canicula oriente, hæc quoq; pugnant, Et esse Fabium, & in mari esse moriturũ. Ergo hæc quoque cõiunctio est ex repugnantibus, Et est Fabius, & in mari Fabius morietur. quod ut propositum est, ne fieri quidem potest. Sed hoc quod dixi, de ijs tãtum cõiunctionibus intelligitur, quæ sunt ex repugnãtibus. Multa enim falsa sunt, quæ non sunt repugnantia. Itaque negatio coniunctionum hoc unum significat potius, duo illa quæ coniunctio complectatur, non esse uera, ut cum dico, Non & homo est, & est malus: hoc dico, falsum esse, aliquem esse hominem, & malum. Cõiunctiones autem ex duabus solum enunciationibus simplicibus constant. Eæ porrò quatuor modis inter se affici possunt. Nã aut utraq; ait, aut utraq; negat, aut prior ait, & posterior negat, aut contrà superior negat, & inferior ait, Si utraq; aiat, tum deniq; uera erit cõiunctio, cum ex genere & specie erit, aut ex specie & differẽtia, aut ex proprio & definitione, aut hæc omnia mutato ordine, priora cum posterioribus copulabũtur. Hæ enim ueræ sunt omnes, Socrates & homo est, & animal est. Et homo est, & rationis est particeps. Et ri-

det & est animal rationis particeps. Licet hunc ordinem mutare, & quod postremum est cum primo coniũgere, hoc modo, Et Socrates homo est, & animal rationis est particeps. Si autem altera sit ex aliquo superiorum, altera ex accidente, aut utraq; ex accidente, nõ erit necesse uerã esse cõiunctionem, nisi in antecedentibus & consequentibus. Antecedentiã autem uoco, ea quæ rem necessariò antecedunt. Consequentia, quæ necessario consequuntur. Socrates & homo est, & natus est. Socrates & homo est, & matrem habuit. Socrates & animal est, & uiuit. Socrates & uiuit, & alitur. Si utraq; neget, uera erit in paucis coniunctio, falsa in superioribus omnibus. Nam quæ si affirmentur uera sunt, eadem falsa sunt si negentur. Si prior aiat, & posterior neget, in superioribus omnibus, id est in toto genere, proprio & definitione, falsa erit coniunctio. Huius generis est illa Ciceronis, Et legatum argentum est, & nõ est legata numerata pecunia. Prior enim generis est, posterior speciei. Infinita enim illa enunciatio, Legatum argentum est, idem quod hæc, Legatum omne argentum est, efficit. Si igitur uera sit ex his cõiunctio, aut diuersa genera complectatur, aut accidens, quod rei non conueniat, necesse est. Vt hæc uera est coniunctio, Et homo est Socrates, & non est lapis. Itémq; hæc, Et homo est Socrates, & non est albus, si niger sit. Eadem est ratio si prior neget, & posterior aiat. Disiunctiones restãt, de quibus dicam. Disiunctiones propriè

Antecedentia

Consequentia

Disiunctiões

ſunt ex repugnantibus. Aut nox eſt, aut dies eſt. Aut valet, aut ægrotat. Aut vigilat, aut dormit. Diſiūctio vera eſt ea, cuius alterutra pars vera eſt. Neceſſaria ea, quæ eſt ex repugnantibus, maximè ſi ex contrarijs, vt contraria vocemus, vt Cicero, cum alterum aiat, alterum neget. Hoc Cicero multis locis confirmat. In quarto lib. Academic. quæſt. Etenim cum ab Epicuro qui totam Dialecticam & contēnit & irridet, nō impetrent, vt verum eſſe concedat, quod ita effabimur, Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cū dialectici ſic ſtatuant, omne quod ita diſiunctum ſit, quaſi aut etiam, aut non, non modo verum eſſe, ſed etiam neceſſarium. vide quàm ſit cautus is, quem iſti tardū putant. Si, inquit, alterutrum conceſſero neceſſariū eſſe, neceſſe erit cras Hemarchum viuere, aut non viuere. Nulla eſt autem in rerum natura talis neceſſitas. Cum hoc igitur dialectici pugnent, id eſt Antiochus & Stoici. totam enim euertit dialecticam. Nam ſi è contrarijs diſiunctio (Contraria autem ea dico, cum alterum aiat, alterum neget) ſi inquam talis diſiunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. In. 1. de natura deorū, idem facit cōtra Dialecticos, a quibus cum traditum ſit, in omnibus diſiunctionibus in quibus aut etiā aut non poneretur, alterutrū verum eſſe, pertinuit, ne ſi cō ceſſum eſſet huiuſmodi aliquid, Aut viuet cras, aut non viuet Epicurus, alterum fieret neceſſarium. In diſiunctionibus repugnantes aut cōtradicentes non inue-

det & est animal rationis particeps. Licet hunc ordinem mutare, & quod postremum est cum primo coniūgere, hoc modo, Et Socrates homo est, & animal rationis est particeps. Si autem altera sit ex aliquo superiorum, altera ex accidente, aut utraq; ex accidente, nō erit necesse uerā esse cōiunctionem, nisi in antecedentibus & consequentibus. Antecedentia autem uoco, ea quæ rem necessariò antecedunt. Consequentia, quæ necessario consequuntur. Socrates & homo est, & natus est. Socrates & homo est, & matrem habuit. Socrates & animal est, & uiuit. Socrates & uiuit, & alitur. Si utraq; neget, uera erit in paucis coniunctio, falsa in superioribus omnibus. Nam quæ si affirmentur uera sunt, eadem falsa sunt si negentur. Si prior aiat, & posterior neget, in superioribus omnibus, id est in toto genere, proprio & definitione, falsa erit coniunctio. Huius generis est illa Ciceronis, Et legatum argentum est, & nō est legata numerata pecunia. Prior enim generis est, posterior speciei. Infinita enim illa enunciatio, Legatum argentum est, idem quod hæc, Legatum omne argentum est, efficit. Si igitur uera sit ex his cōiunctio, aut diuersa genera complectatur, aut accidens, quod rei non conueniat, necesse est. Vt hæc uera est coniunctio, Et homo est Socrates, & non est lapis. Itémq; hæc, Et homo est Socrates, & non est albus, si niger sit. Eadem est ratio si prior neget, & posterior aiat. Disiunctiones restāt, de quibus dicam. Disiunctiones propriè

Antecedentia
Consequentia
Disiunctiōes

sunt ex repugnantibus. Aut nox est, aut dies est. Aut valet, aut ægrotat. Aut vigilat, aut dormit. Disiūctio vera est ea, cuius alterutra pars vera est. Necessaria ea, quæ est ex repugnantibus, maximè si ex contrarijs, vt contraria vocemus, vt Cicero, cum alterum aiat, alterum neget. Hoc Cicero multis locis confirmat. In quarto lib. Academic. quæst. Etenim cum ab Epicuro qui totam Dialecticam & contēnit & irridet, nō impetrent, vt verum esse concedat, quod ita effabimur, Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cū dialectici sic statuant, omne quod ita disiunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium. vide quàm sit cautus is, quem isti tardiū putant. Si, inquit, alterutrum concessero necessariū esse, necesse erit cras Hemarchum viuere, aut non viuere. Nulla est autem in rerum natura talis necessitas. Cum hoc igitur dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici. totam enim euertit dialecticam. Nam si è contrarijs disiunctio (Contraria autem ea dico, cum alterum aiat, alterum neget) si inquam talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est. In. 1. de naturá deorū, idem facit cōtra Dialecticos, a quibus cum traditum sit, in omnibus disiunctionibus in quibus aut etiā aut non poneretur, alterutrū verum esse, pertinuit, ne si cō cessum esset huiusmodi aliquid, Aut viuet cras, aut non viuet Epicurus, alterum fieret necessarium. In disiunctionibus repugnantes aut cōtradicentes non mue-

ni apud probatum auctorem. Nihil autem prohibet negationis adiunctione fieri, vt coniunctiones, vt has duas disparatas vocemus, Aut Socrates dormit, aut disputat, Non aut dormit Socrates, aut disputat. Hanc autem disiunctionum negationẽ appellare possumus. Tot verò modis affici possunt disiunctionum simplices enunciationes, quot coniunctionum posse monstraui. Veræ autẽ erũt disiunctiones quæ ex iisdẽ erũt, ex quibus veræ coniunctiones, ac multò etiam magis veræ futuræ sunt. Si quæ enim duo coniuncta vera sint, eadẽ disiuncta multò magis erunt. Atq; hæc tria sunt genera enunciationũ earum quæ non simplices, sed cõpositæ appellantur, quòd multas cõplectantur simplices. Cætera autem quòd vel facilia sunt, vel minus à Dialecticis vsurpata, vel ad hæc reuocari facile possunt, omnino tractari non solent. Sunt tamen qui id genus enunciationum, quæ causales vocantur, tractent, cuiusmodi hæc est, Quia sol lucet, dies est. Hoc genus si approbare placet, ego quidem certe non repugno: verum tum denique dicetur, cum superius causa inferioris erit. Perpaucæ huius generis veræ sunt, si causæ verbum in eo propriè intelligamus. Neque enim ex specie & genere, neque ex proprio & specie cuius proprium est, neque ex eo quod definitur, & definitione vllæ veræ erunt. Non enim quia aliquis homo est, is est animal, nec quia aliquis ridet, idcirco homo est, nec ob eã causam animal est rationis particeps

mortale quis, quia est homo. Ita solæ eæ quæ ita collocatæ erunt, vt prior sit ex differentia, posterior ex specie, aut prior ex specie, posterior ex proprio, itémq; superior ex definitiõe, & ex eo quod definitur posterior, vera erunt in his tribus attributis. Sed quoniã isto modo multæ enunciationes tam apud Platonem, & Aristotelem, q̃ apud Ciceronẽ alióſq; scriptores sunt falsæ futuræ, quas pro veris posuerunt: mihi nõ vidẽtur hæ causam posterioris in priore requirere, sed solã antecessionẽ. Ita non est hoc genus diuersum ab eo, quod cõnexũ Cicero, vt docui, nominat. Eadẽ est ratio earum quæ ex loci & tẽporis aduerbijs cõstãt. In quo genere hæ sunt, Cũ sol lucet, dies est, Vbicunq; sol lucet, ibi est dies. Hæ enim facile ad connexa reuocari possunt, hoc modo, Si quo tempore sol lucet, eo dies est. Sicubi sol lucet, ibi est dies. Atque hoc etiã Cicero confirmat in libro de fato, Quid est quod non posśit isto modo ex connexo transferri ad coniunctionum negationem? Et quidẽ alijs modis easdem res efferre possumus. Modo dixi, In sphæra maximi orbes medij inter se diuiduntur. Possum dicere, Si in sphæra maximi orbes erunt. Possum dicere, Quia in sphæra maximi orbes erunt. Multa sunt genera enunciandi.

IOACHIMI PERIONII BEnedictini Cormœriaceni de Dialectica LIBER II.

QVoniam autem de omnibus enũciationis generibus dixi, sequitur, vt de argumẽtationibus quæ ex ijs cõstãt, dicẽdũ esse videatur. Argumẽtatio quidẽ & argumentũ hoc differunt vel auctore Cicerone, quòd Argumẽtũ est ratio rei dubiæ fidẽ faciens: Argumẽtatio, argumẽti explicatio siue tractatio. Ita argumẽtum enunciatio vna est tantũmodo: argumentatio autẽ præterquàm quòd argumentationem, conclusionem quoque cõplectitur. Quanquã in obseruationibus nostris in Aristotelis Topica argumentationem interdum à Cicerone pro argumento vsurpari docui. Eodem autem libro docui ἐπιχείρημα eodem modo accipi ab Aristotele pro argumento & argumentatione. λόγος etiam nonnunquam argumentum, sed ferè in hac re argumentatio dicitur. Qui horum exempla requiret, legat eum quem modo nominaui librum. Argumentationum autem duo sunt genera, alterũ ratiocinatio latinè, græcè συλλογισμὸς appellatur, alterũ inductionẽ latini, græci ἐπαγωγὴν vocant. Est autem ratiocinatio, oratio quæ quibusdam concessis, aliud ex ijs necessario efficit atque concludit.

Argumentú
Argumentatio
Ratiocinatio

vt si quæratur, Sitne vtilis iustitia, hoc modo concludi licebit, Quod suum cuique reddi iubet, id vtile est, Iustitia autem suum cuique reddi iubet, Iustitia igitur est vtilis. In hac oratione si superiora duo concesseris, cogêre etiam postremum concedere. Inductio autem oratio est, quæ ex rebus singulis progrediens, ad res vniuersas peruenit. vt si quæratur, Sitne præstantissimus in quaque re habendus is, qui in omni re sit peritus & doctus, hoc concludere inducendo sic licebit, Gubernator is demum est optimus qui peritus & doctus, itemque auriga, & reip. moderator, & imperator. Qui igitur in quaque re peritus est, is est habendus præstantissimus. Ratiocinationi subiectum est enthymema, & exemplum inductioni. De his autem accuratius tum differemus, cùm de argumentorum dispositione erit disputandum. Nunc de argumentorum inuentione dicendum est. Argumentum est enunciatio qua res dubia probatur. Locus autem est argumenti sedes, id est vnde argumẽtum eruitur & depromitur ad faciendam fidem, cum est opus. Neque enim locus argumentum est, vt neque aurifodina, aurum, neque lapidicina lapis, sed aliquid in quo aurum est reconditum & lapis, vnde aurum & lapides, cum inuenta sunt ad vsus necessarios elici possunt. Et quoniam argumentũ ad id probandũ quod quæritur & in disputationẽ incidit, depromi solet: quatuor autem genera esse docui eorum, quæ proponerẽtur ad disputandũ; genus, defi-

Inductio

Argumentũ

Locus

nitionem, proprium, accidens: deinceps quæ argumenta ad ea confirmanda vel refellenda sumi poßint, docebimus. Locos alij aliter partiuntur. Aristoteles quidem in Topicis nullam eorum adhibuit diuisionē, nec verò certum ordinem seruauit. In arte autem rhetorica duo genera eorū posuit, quam eius diuisionē, quoniam cùm prope omnes docti, tum vel maximè Cicero secutus est, eam nos etiam hoc tempore sequemur. Dicamus igitur locos partim in ea re quæ incidit in disputationem hærere, partim assumi extrinsecus. Ii in re ipsa inhærent, & insiti sunt, quos disputatoris diligentia à re ducit & sumit. Ii autem extrinsecus adhibentur, qui sine disputatoris arte & diligentia pariuntur, vt testimoniū, & auctoritas. Primum insitos enumerabo, deinde remotos. Cum aliquid ad disputādum proponitur, & quale sit quæritur, id tale esse quale uolumus, vel eius definitione cōfirmamus, vel notatione verbi, vel eius partium enumeratiōe, vt si quæratur, Sitne iustitia expetenda, id primum concludetur eius definitione, Iustitia est virtus suum cuique reddens. Reddere autem suum cuique in rebus expetēdis est, Iustitia igitur est expetenda. Deinde à verbi notatione sumetur argumentum, hoc modo, Ius statuere in quenque expetendum est. Iustitia autem ius statuit in quenque. Est igitur expetenda iustitia. Tum ab enumeratione partium eius quod expetitur hoc modo, Omne quod expetitur, aut eò expetitur quia honestatē

& decus affert, aut quia vtilitatem, aut quia volupta tem. Iustitia autem aut hæc omnia aut quod plurimũ valere debet, complectitur. Iustitia igitur est expeten da. A coniugatis etiam hoc concludere sic licebit, Si id quod iuste fit expetendum est, etiam expetenda iustitia est. Itẽ a genere hoc modo, Si virtus omnis optanda iure est, etiam iustitia, quæ virtus est, expetatur necesse est. A forma hoc modo, Si & præmijs afficere bene de rep. meritos, & in malè meritos animaduertere in rebus expetendis est, certè iustitia quæ hoc præstat, expetenda est. A simili hoc modo, Si expetenda fortitudo, & iustitia. A differentibus, Non quemadmodum summum ius interdum declinandum & fugiendum est, sic iustitia fugienda. Aliud est enim summum ius, aliud iustitia. Ex cõtrario sic, Si iniustitia fugienda est, expetenda iustitia. Ab antecedentibus, Si ita comparare se, vt nemini nocere velit cuique optandum est, iustitia etiam expetenda. A consequentibus, Si voluntas constans suũ cuiq; tribuẽdi optãda est, & iustitia. A repugnantibus hoc modo, Non & virtus omnis expetenda, & nõ est expetenda iustitia. Virtus autẽ oĩs expetẽda est: Et iustitia igitur. Ex efficiẽtib⁹, Si amicitia expetenda est, & iustitia. Ex effectis, Si æquabilitas optãda est, & iustitia. Ex pari sic, Si expetendum est beneficijs allicere hominum voluntates, æquitate constituenda eas retinere optabile est. Ex minore, Si gloria expetenda est, & iustitia. Ex maiore

a coniugatis
a genere
a forma
a simili
a differentibus
a contrario
ab antecedentibus
a consequentibus
a repugnantibus
ex efficientibus
ex effectis
ex pari
ex minore
ex maiori

nihil affirmando concluditur. Adhuc argumenta omnia quæ à magnis viris tradita sunt, ad rem vnam probandam sumpsimus, vt quauis re proposita aut sumpta ad concludendum & disputandum studiosi disserendi habeant, quod afferant. His enim exemplis facile admonebuntur, vt similia fingant. Atque hæc quæstio accidentis est. Ad generis autem, proprij & definitionis quæstiones ijdem loci accommodari, etsi non omnes possunt, quod paulo post docebimus. Nunc ijdem loci explicandi sunt pluribus. Definitio quid sit dictum est. Eius tot sunt genera, vt Seuerinus Boethius scripto nominatim de ijs libro, cũ quindecim exposuit, multa etiam se dicat prætermittere. Ex quo intelligi debet, hunc laborem à nobis non esse hoc loco postulandum. Satis ergo erit, nonnulla tantum genera, quæ ad institutum nostrũ pertinebunt, exponere. Duo quidem eius sunt genera prima. Cum enim quid sit res aliqua exponitur, id vel rebus ijs quæ rei naturam, & vt ita dicam, essentiam attingunt, aut ijs quæ illam quidem non attingunt, sed tamen in eam conueniunt, fieri debet. Primum genus οὐσιῶδες, id est, essentiale vocatur, quod vim, naturam &, vt ita dicã, essentiam rei explicat. Alterum κατὰ συμβεβηκότα, id est, accidentale dicitur, quòd rem ex ijs tantum rebus quæ naturam eius non attingunt, cognoscendam perspiciendamq́ue proponit. Quoniam autem duo sunt tantum quæ naturam rei attingunt, materia & spe-

cies, quorum materiam genus, speciem forma illustrat, ea sola in hoc genere dominatur, quæ ex vtroque constabit. Secundum locum obtinebit ea, quæ formã solã: tertium ea quæ solam materiam exprimet. Id autem definitionis genus, quod ex genere constat, & differentijs vel solum, vel maxime retinendum esse, hinc intelligi potest, quòd cũ definitio oratio sit, quæ, vt docui, quid res sit explicat: genera autẽ sola & differentiæ rei vim & naturam explicent, profectò aut sola, aut maxime ea erit definitio quæ ex genere differentijsque constabit. Itaque Aristoteles in septimo libro Topicorum, ὁ ὁρισμὸς, inquit, ἐστὶν ἐκ γένους καὶ διαφορῶν, id est, definitio constat ex genere & differentijs. Differentiæ autem non debent semper vno verbo declarari, sed sæpe pluribus, cum verbum vllum simplex non est satis aptũ aut Latinũ. Definiam enim ego libentius hoc modo hominem, Homo est animal rationis particeps, mortale, quomodo Cicero in. iiij. Academic. definiuit: quàm quomodo Quintilianus ac cæteri, Homo est animal rationale mortale. Hoc autẽ genus definitionis & materiam, vt dixi, & speciem formámve declarat, idque in nõnullis rebus perspicuum est: in alijs autem adeo est obscurum, vt nihil incertius esse videatur. In homine enim definiendo genus materiæ, formam speciei locum volunt obtinere. Si genus totius vim, formam partis principalis dicamus tenere locum, id multo erit facilius ad intelligendum, ne dicã

Hóis definitio.

verius. Cum enim dico hominem esse animal, hominē quid totum esse dico. Cum verò eum esse dico rationis participem, tum quale esse animal dicerem exprimo. Atque pars principalis cuiusq; rei est species, quā formam vocant, quæ rei cur sit causa est. Illa igitur hominis definitio non propriè materiam & formam, sed philosophorum sententia genus & formam, quæ illorum locum obtinent, complectitur. Quod eodē modo de alijs quæ ex genere & differentijs cōstabunt iudicandum est. Sunt autem nonnullæ definitiones quæ perspicuè materiā speciemque declarant. Materia autem hoc loco id omne intelligitur, ex quo tanquam partibus aliquid constat, vel in quo versatur, vel ex quo opus sibi propositum facit. Partes autē voco eas quæ integrales appellantur. Vt partes domus sunt lapides, cementum, calx, trabes, lateres vno modo, alio modo, fundamentum, contignationes, & tectum. Forma autem domus, vt placet Aristoteli, est incommodorum quæ ventus, calor, hyems inuehit, propulsatio. Ita definitio hæc domus, Domus est integumentum ex lapidibus, lateribus, cemento, trabibusque constans, quo contra ventorum, imbrium, & caloris incommoda munimur: hæc inquam definitio domus materiam formamque complectitur. Quòd si hæc duo separētur, vt domum dicamus operculum, quod ex lapidibus, lateribus, cemento, trabibusque constat: aut domum esse id, quo contra vētorum, imbrium calorumque ac tem-

Materia

forma

pestatum iniurias muniamur, prior ex materia erit, posterior ex forma. Atque hoc genus definitionis illud etiam complectitur, quod diuisione fit & partitione. Nam cum inter diuisionẽ & partitionẽ hoc intersit, quòd diuisio omnes formas, partitio partes eius quod diuiditur, cõtinet, partes autẽ & cuiusque & formæ eius naturam essentiamque attingant, fit vt diuisionũ & partitionũ definitiones ad id definiendi genus pertineant, quod naturam rei quæ definitur explicat. Quin etiam hoc genus à superiore non distat. Omnis enim partitionis definitio materiã: quæ autem diuisionis est, formam eius quod definitur exponit. Quod quò facilius intelligatur, planius de vtraque dicendũ est. Partitionum quidem definitio est, cum id quod definitur, membrorũ & partium: diuisionum autẽ, cum formarum enumeratione quid sit aperitur. Earum autem distinctio est tanta, quantum inter partes & formas interest. Formæ autem à partibus hoc differũt, quòd formarum certus est numerus, partiũ sæpe infinitior. Atque hoc quidẽ verè dixit Cicero, sed planius hanc distinctionẽ licet exponere. Formæ igitur, hoc distinguendæ sunt à partibus, quòd de quaque forma totum dicitur, de quaque autem parte non dicitur. Vt partitionum definitio quæ definitionis est forma, definitio est: & ius naturæ, ius: fortitudo, virtus: Dialectica, ars dicitur. Senatus consulta autem quæ iuris ciuilis partes sunt, non iuris ciuilis appellantur nomine. Itemque nec

Diuisionis, et Partitionis differentia

formę à partibus differunt

definiendi scientia, nec iudicandi, nec inueniendi dialectica dicitur. Diuisionis est illa quam Cicero amplitudini statuit, definitio, Amplitudo est potentiæ aut maiestatis, aut aliquarum copiarum abundãtia. Nam & potentiæ abundantia amplitudo est, & maiestatis, & aliquarum copiarum. Itaque hoc genus disiunctionibus ferè explicatur, illud autem coniunctionibus. Exemplis hoc illustrabimus. Diuisionis est illa eiusdem, Principium est oratio perspicuè & protinus perficiēs auditorem beneuolum, aut attentum, aut docilē. Et illa eiusdem, Anceps genus causæ est, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa & honestatis & turpitudinis particeps. Illa etiam probabilium, quæ ab Aristotele tradita est, Probabilia sunt quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, aut certè sapientibus. Partitionis autem illa est quam domui idem statuit, quæ paulo antè à nobis posita est. Item illa Ciceronis, Ius ciuile est id quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratuū, more, æquitate consistat. Interdum autē cōiunctionibus diuisionū partitiōes explicãtur, vt illa eiusdē. Fundamentū autē iustitiæ est fides, id est dictorū cōuentorumq́; cōstantia, & veritas. Nã tã dictorū quàm conuentorū cōstantia est fides. Hoc fit non quod vtrunque non sit fides, sed quòd si quis vnū prætermittat, cū non debet, aut cōtra quàm alterius ratio postulet, faciat, is nō sit habendus fidelis. Eodē modo de principij definitione iudicãdum

est. Si quis enim attentũ auditorẽ reddat, & contra benevolentiæ conciliandæ præcepta faciat, is vitioso principij genere vtetur, cũ interim id faciat, quod in præceptis videtur esse. Adhuc ea definitionis genera exposui, quæ rei vim & naturã attingunt, quibus ea pene omnia quæ ex quatuor causarũ generibus sunt, continẽtur. Nã & id genus quod ex causa ea quã formalẽ vocant, & id quod ex materia, & id quod ex fine cõstat, complectitur. De prioribus duobus nihil ambigitur, de tertio autem ambigi potest. Sed intelligendum est, finẽ rei esse duplicem, vnum qui eius naturæ est, alterum qui ab eius natura est remotus. Vt homini beata illa vita cœlestis proposita est tanquam finis, sed is ab eo remotus est, nec naturam eius attingit. Itaque si homo definiatur animal quod sempiternæ vitæ causa sit creatum, non erit in eo genere quod essentiale dicitur. At finis is, cuius causa domus, nauis, aliaque quorum vsus est aliquis, constituta sunt, eis ita proprius est, vt naturam etiam eorum attingat. Finis enim eorum in vsu cuius causa parata sunt, cernitur. Itaque eorum definitiones, quæ finem complectuntur, & finis sunt, & formæ, & effectus. Nam domus (vt de ea potissimum dicam) eo parata est, vt nos ab incommodis ventorum, imbrium, frigoris & caloris protegeret ac tueretur, qua in re & finis eius perspicitur, & status, & vsus.

finis rei duplex

Sola igitur reliqua est definitio, quæ à causa efficiente

ducitur. Multa eius sunt genera, de quibus in causarũ loco differemus. Nunc satis erit admonere, ex eo solùm causæ efficientis genere quod vi sua aliquid efficiat, eã quam essentialem vocant, constare definitionem. Nec verò ex omni eius generis cõstat, sed ex ea demũ quæ cuiusque rei est propria maximè. Vt enim homo multa facit, veluti comedit, progreditur, scribit, aliaq; innumerabilia: nec differentia quæ illius naturam explicat, ex illis sumitur, sed ex vi ratiocinandi, qua cæteris animantibus præstat: sic cum ex causa ea quæ vi sua aliquid facit, ea quam essentialẽ vocant definitio sumitur, is solùm eius effectus seu officium, quod perfectißimum est, retineri probariq́ue debet. Hoc modo à Cicerone eloquentia siue rhetorica bene dicendi scientia, definita est: hoc modo dialectica ab eodem ars bene disserẽdi. Sic enim res habet, cũ res nulla sit (omnes autem complector quæ in decem categorijs continẽtur) quæ nõ vim & naturam suam quandam & propriã habeat, non est id quidem dubium, quin ea quæ illam declarabit, definitio, in eo genere sit habenda quod essentiale dicitur. Hoc autem genus definitionis ab eo quod paulò antè à fine sumi ostendi, aut non differt omnino, aut certè non permultum interest. Nam quoniã omnia quæ sunt, ad vsum & officium quoddam sunt procreata, quod sua quæque duce natura præstãt, profectò quæ à fine, ea etiam à causa efficiente, & si non omnis, ducetur elicieturq́ue definitio. Cum enim vna-

quæq; res eo procreata sit, vt naturæ munus expleat, perueniatque ad naturæ perfectionem, idque in eo positum sit, vt quod ei natura absolutissimum dedit, perficiat: idem sit & finis quem hoc loco tractamus, & munus & causa necesse est. Vt cum domus definitur, esse tabernaculum quo nos à vētorum, imbrium aliorumque incommodis tuemur, primū tueri est efficere, deinde est domus finis, postremo est eius munus & officium. Itemque cum homo definitur, animal rationis particeps, hoc totum rationis particeps idē quod illud, vtens ratione declarat. Vti autem ratione tum efficere aliquid est, quantū in ipso est, tum hominis est & finis, et munus. Quod si artes omneis definiamus, si virtutes, si vitia, hæc in ijs omnia reperiemus.

Sed vt tandem aliquando hunc definitionis, quæ naturam rei explicat, concludamus locum, enumerare licet quæ genera complectatur. Hoc quidem genere & ea quæ à causa, quam vocāt formalem, & ea quæ ab efficiente, & ea quæ à fine, & ea quæ à materia manat, continetur. Hoc etiam diximus, ea definitionis genera, quæ diuisionum sunt & partitionum, ad hoc genus pertinere. Restat genus illud quod rem non rebus quæ naturam & essentiam eius attingant, quid sit explicat, sed vel proprijs illis quidem, nō autem essentiā declarantibus, vel assumptis & quasi extraneis. Itaque eius genera duo sunt, alterū quod proprietatibus, alterum quod attributis aduētitijs explicatur. Quid sit

proprium, quid accidens exposui. Prius genus in multis à superiore discerni vix potest. Itaque oratores proprij pro differentiæ nomine vtuntur. Nos principio libri superioris, quid inter hæc interesset, ostendimus. In ijs quidem rebus quæ vocis suffragio vtuntur, propria à voce ducuntur, vt hominis propria est oratio, siue sermo, & risus: leonis, rugitus: equi, hinnitus: canis, latratus. In mutis autem sumuntur à rebus quarum eis natura vim dedit, quò difficilius est hæc ipsa in his à differentijs seiungere. Quòd si id proprium esse dicamus, quod sic rei cuipiam conuenit, vt in aliam rem nullam transferri queat, & differētiam id quod facit, vt id cuius differentia est, à cæteris distet, ita tamen vt in plura genera, quemadmodū volunt veteres, cōueniat: facilior erit dißimilitudinis explicatio. Quanquam in hac facilitate summa inest difficultas diiudicandi, propterea quòd & rerū naturas difficile est obseruare, & cū obseruaueris, quæ ad essentiam rei pertineant, quæ non pertineant, explicare. Itaque verum est quod Aristoteles ait, orationem eā quæ de toto genere dicat, certiorem esse: quæ autē in rebus singulis versetur, veriorē. Nos enim de toto genere proprietatū & differentiarū quid inter se differāt, dicere possumus: de singulis autē nisi perpaucis nō possumus. Proprietatis ergo, vt ad institutū reuertamur, ea definitio est, qua vis rei, non essentia explicatur. Cuius generis hæ sunt, Homo est animal ridēs, Homo

est animal doctrinæ capax. Virtus est habitus animi, qui eum in quo est, bonum efficit. Ignis corpus est quod summa celeritate sursum fertur. Hoc etiam genus à fine & causa efficiēte & effectu duci potest. Est enim finis quidã, ut dixi, & causa efficiens, & effectus qui naturam rei non attingunt, ut propria est hominis beata uita: proprium est hominis loqui: asini rudere: auis uolare: proprium est rursus hominis in societate & communitate degere. Contrà huius generis nulla materiam aut formam complectitur: nulla est partitionum, nulla diuisionum. Hæc enim omnia naturam, & ut uocant, essentiam rei explicant, à quo proprietas abest distátq; plurimum. Superest alterum genus quod ab aduentitijs attributis sumitur. Eo proprietatum ignoratione uti cogimur. Itaque Aristoteles, Theophrastus, aliíq; permulti, cum auium, animantium, arborum, fruticum, & herbarum uim definitione aperire non possent, id adhibuerunt. Ego in priore oratione earũ quas in Ramum pro Aristotele scripsi, quásq; huic libro attexui: multa exempla posui, quæ ne sim longior, omitto. Hoc enim loco satis est intelligi, accidentium definitionem sumi à rebus aduẽtitijs, ut à colore, odore, succo, magnitudine, loco, tempore, cæterisq; generis eiusdem. Sed illud intelligendum est, hoc genus non definitionis, sed descriptionis potiùs appellandum esse nomine, quãdoquidem nõ quid res sit, sed qualis explicat. Nunc quoniam satis longam orationem, atque adeo nimis longam in generi-

bus definitionum commemorandis posui, sequitur, ut quæ sint ueræ, quæ uitiosæ definitiones, dicendum esse uideatur. Memini cũ dialecticis erudirer, hoc primùm nobis proponi ad discendum, quid esset definitio, quotq; essent conditiones (sic enim loquebamur) bonæ definitionis. Tres tradebantur, prima, ut esset conuertibilis cũ definito: altera, ne quid superflui: tertia ne quid diminuti contineret. Fuit ille tũ latini sermonis penè interitus, à quo eũ his tẽporibus dei benignitate multorũq; diligẽtia uindicari uidemus. Nos igitur aliqua ex parte latinis literis lucẽ afferamus. Cõditiones nõ appellãda sunt hæc, sed præcepta definiendi. Primúmq; dicamus, definitionem in rem aliam nullam transferri oportere: alterum, Nihil in ea redũdare, aut superesse: tertium, Nihil deesse oportere. Sic enim Cicero loquitur, cum hæc ipsa præcepta attingit. Ac de primo quidẽ in. 4. Academi. quæst. scribit his uerbis, Quid enim agãt, si cùm aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio poßit in aliam rem transferri quamlibet? Si posse dixerint, quid dicere habẽt, cur illa uera definitio sit? In Topicis hoc ipsum confirmat. Duo reliqua persequitur in. 2. de oratore, Cuiusmodi de ipso iure ciuili, hesterno die Crassus componi posse dicebat, ut genera rerũ primùm exponerentur, in quo uitium est, si genus ullum prætermittatur: deinde singulorũ generum partes in quo & deesse aliquam partem, & superare mẽdosum est: tum uerborum omnium definitiones, in quibus nec abesse

Definiendi pcepta

quicquam decet, nec redundare. Primum ab Aristotele dicitur, μηδὲν ἐπὶ πλέον εἶναι: alterum quod posui, μὴ περιέργον εἶναι: tertiū, μηδὲν ἐλλεῖπον εἶναι. Primum autem præceptum ex modo definitionis intelligitur. Is enim debet esse, ut ea omnia quæ definitio complectatur, ab aliquo rem eam quæ definitur, separēt. Sic enim propria erit eius, nec ad aliam rem ullam transferri poterit. In tertio præcepto tribus modis peccatur: primo, si quod eiusmodi uerbum ponatur in definitione, quod uel de rebus omnibus dicatur, uel de ijs quæ eidem generi subijciantur. ut si definiam domum, rem qua uentorum, imbrium, cæliq; incommoda propulsemus, uitiose definiam. Propterea quòd uerbum rei omnia complectitur. Secundo cum propria illa quidem est, sed id cōtinet uerbum, quo sublato reliqua erit propria. Vt si homo definiatur hoc modo, Homo est animal rationis particeps mortale doctrinæ capax, mala erit definitio, quòd hoc toto detracto, doctrinæ capax, quod hominis etiam proprium est, quod reliquum est, perfectè naturam hominis explicabit. Hoc enim in definitione redundare ac superare dicitur, quo sublato, id quod remanet, planum facit quid sit, id quod definitione aperitur. Tertio peccatur, cum bis idem uocabulum siue uerbo, siue reipsa dicitur, ut si quis definiat appetitionem, uoluptatis cupiditatem. Cupiditas enim & appetitio idem ualēt. Prætermißione autem peccatur, cum aliquod necessarium uerbum in definitione deest. Atq;

hoc uitium propè idē uidetur, quod illud, cum in aliam rem transfertur definitio. Alia etiam uitia in toto definitionis genere uitanda sunt. Sed nullum magis, quàm ne obscura sit. Nihil est enim quod minus ferendum sit, quàm id eſse obscurum, quod illustrandæ & quasi euoluendæ rei inuolutæ gratia adhibetur. In quo genere in primis est definitio, quæ rem dubiam se probare, obscuram illustrare, occultam in lucem proferre, tectam aperire profitetur. Hoc autem uitium ita denique declinabimus, si uerbis & reb. notioribus & magis perspicuis quàm sit id quod definitur, utemur. Notiora autem & clariora sunt habenda ea quæ latius patent, quæ eadem nota sunt omnino. Itaque ex genere ac differentiis constat ea quæ sola dominatur definitio. Patent enim quàm quæ eis subiectæ sunt formæ, latiùs. Ex quo perspicuū est, eas definitiones uitiosas esse, quæ contrariis explicantur. ut si dicamus id malū esse, quod non est bonum. Et illam Horatij, Virtus est uitium fugere, uitiosa est, si ad normam philosophorū exigatur. Nam & oratores & poëtæ suo more definiūt, in eoq; orationem ad uulgi opinionem & sensum accomodāt. Sūt tamen quædā quæ definiri aliter non possunt, ut ea omnia quæ cum aliquo conferuntur. Quod quidem uidit Cicero, qui in primo de oratore libro sic genus & partes generis definit, ut utroq; in utriusq; definitione utatur. sic enim definit, Genus autē, id est, quod sui simileis cōmunione quadā, specie autem differentes duas

aut plures complectitur parteis. Partes autem sunt, quæ generibus iis ex quibus emanant, subiiciuntur. Hæc etiam Aristoteles ab hoc uitio excipit: quem secutus est Porphyrius. Iis autem adhibendis quæ notiora sunt & clariora, quòd latius pateant, ne fallamur, uidendum est diligenter. Neque enim si quod rem antecedit quã definire uolumus, id exprimamus, continuò uerbis notioribus uti uidebimur. Proximo enim genere suo res quæque definienda est, nisi forte interiectas differẽtias adhibeamus. Id quod in hac animalis definitione, Animal est natura animata sensus particeps, animaduerti licet. Qui accuratiùs ac certiùs definiendi scientiam cognoscere uolet, sextũ librũ Topicorũ Aristotelis euoluat. Neque enim uitia omnia persequi hoc loco institui. Quapropter ad institutũ nostrũ reuertamur. Diximus quid definitio esset, quot eius essent genera, quæ definitionis præcepta seruanda, quæ uitia fugienda. Qui sit eius modus dicendum est. Is qui sit, Cicero in Topicis Aristotelis uerbis exponit, Sic igitur ueteres præcipiũt, cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei quam definire uelis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poßit. Atque hæc quidem Cicero de Aristotelis secundo libro Analyticorum posteriorum sumpsit, quemadmodum docui alio loco, sed quoniam non omnia mutuatus est, quæ ad hunc locum pertinent, nec ipse exponit quæ sint illa communia quibus expleri poßit definitio,

de eo pauca dicenda ſunt. Neque enim omnia ſumere oportet quæ ſunt ei rei quam definire uolumus, cũ aliis cõmunia, etiamſi totum efficiatur proprium. Hinc igitur de iis diſſerendi ducamus exordium. Quod propriè definitur, uel ſpecies eſt infima, uel genus medium. Neque enim induidua & ſumma genera propriè definiuntur. Si ſpeciem infimam definire uolumus, non eſt arceſſendum à capite, id eſt à ſummo genere eius categoriæ cui attributa eſt, ſed à proximo, quod cum ei ſit commune cum cæteris formis eiusdem generis, communia alia quæ anguſtiùs pateant ſumenda erunt eatenus quoad tota propria efficiatur oratio. Vt ſi homo definiẽdus ſit, nõ rectè facias ſi eum ſubſtantiã aut corpus eſſe dicas, (hæc enim duo remotiora ſunt) ſed animal. Rurſus quoniam animalia ſunt & boues, & equi, aliquid aliud tibi quærendum eſt, quod animalis uerbo ſubiiciatur. id inuenies hoc totum rationis particeps, quod adiunctum ſuperiori nondum plenam definitionem efficit. hoc enim totum animal rationis particeps generis locum obtinet. Mortale igitur adiunge, tum tria illa uerba, quorum quodque commune eſt homini cum multis rebus, coniuncta hominis complebunt definitionẽ. Eſt enim ſolus homo animal rationis particeps mortale. Atque hoc præceptum definiẽdæ formæ infimæ Ariſtoteles II. libro Poſteriorum analyticorum tradidit. Generis autem definiendi infimi hoc dedit. Si id genus definiendum eſt, primùm in ſuas ſpecies infi-

Quid propriè definiatur.

mas distribui debet: deinde earum definitiones sumendæ sunt, quarum quæ pars multis uerbis constat, in omnibúsque formis uerè dicitur, generis eius de quo agitur erit definitio, si summum genus primo loco adiungatur. Sed hoc solum in iis ualet, in quorum formis definiendis multa uerba poni licet, quæ generis uim & naturam magna ex parte declarent. Vt si numerum definire uelim, primum duorũ & trium quæ eius sunt formæ definitiones mihi proponam. Est autem binarius multitudo unionũ quæ prima in partes æquales diuiditur. Ternarius, multitudo unionum quæ prima in duas partes impares diuiditur. In harum duarum aliarúmq; eius generis formarum definitionibus, hæc duo uerba, Multitudo unionum, reperio, quæ cõmunia sunt omniũ formarum. ijs si addam genus summum, quod est quãtitas, numeri plena hæc erit definitio, Quanta multitudo unionum. Quanquam græcis, non nobis hoc modo loqui licet, sed potius hoc modo, Quantitas multa unionum. Atque hoc quidem, in ijs generibus quæ commemoraui facere possumus, in alijs non possumus. Neque enim in homine definiendo, uim animalis multis uerbis exprimi licet, ut dicamus hominem esse corpus sensus & rationis particeps mortale. In generibus etiam medijs definiendis hoc ipsum ualet, ea quam dixi, adhibita exceptione. Sed quoniam hoc secundum præceptum non est perpetuum nec generale, hanc omnem definitionis inueniendæ disciplinam ad superius reuocandam

censeo, dum cõmunia illa quæ ſumẽda ſunt, genera & differentias eſſe intelligamus. Eſt enim illud multo & facilius et certius. In quo perutile erit, quacũq; re propoſita ad definiendũ, primũ quã ad categoriam pertineat quærere: deinde eã inuentã in partes diſtribuere, quoad proximũ eius rei quã definire uolumus genus inuẽtum ſit: tũ in differẽtias primas genus illud partiri, & in ſecũdas, atq; etiã tertias ſi ita res ferat. Sic enim tandẽ aliquando inueniemus, ea omnia quæ generi adiuncta rem illam à reliquis diſtinguent. quæ rei propria erit, et perfecta definitio. Vt ſi temperãtia mihi propoſita ſit ad definiẽdum, primũ cuius ſit categoriæ uidebo. deinde cũ qualitatis eſſe inuenero, qualitatẽ in quatuor genera diuidã, in habitũ et affectionem, in uim et imbecillitatẽ naturalem, in cõmutationem & patibilẽ qualitatem, in formam atq; figuram. natura diligenter perſpecta, & animaduerſa, temperantiæ genus habitum eſſe cõcludam: ſed quoniã remotum eſt, rurſus habitũ in genera in uirtutem & uitiũ partiar: quorum cũ in uirtutis genere eoq; proximo temperãtiam numerari uidero, genus hoc in differentias diſtribuam, in morales, & rationis, quæ intellectuales uocantur. cúmque more perfici temperantiã cognouero, tum morales rurſus in ſuas differentias diuidam, in eas quæ in metu, in eas quæ in cupiditatibus, in eas quæ in opibus, in eas quæ in honoribus expetendis, in eas quæ in iocis, in eas quæ in rebus alienis adminiſtrandis decorum ſeruant.

Quod cum fecero, facilè intelligam in ijs esse temperātiam, quæ modū cupiditatibus apponant. Ei igitur hanc definitionem statuam, Temperantia uirtus est moralis, quæ cupiditates gustatus & tactus rationi obedientes efficit. Temperantiæ definitio *His ita constitutis, quis usus sit loci definitionis dicendum est. Cum aliquid in disputationem incidit eorum quatuor quæ quæri solere dixi, id quoniam uel conceditur uel negatur (ut concedi partim & partim negari dicamus id quod distinguitur) si conceditur, refellendum: si negatur, confirmandum est. Ad horum utrunq; plurimum ualet definitio. Sed hoc tribus modis fieri potest. Nam quoniam in omni quæstione dialectica hoc quæritur, an quod alicui attribuitur, aut non attribuitur, uerè an falsò ei attribuatur, uel non attribuatur: idcirco uel ab eo cui quid conuenire, aut non cōuenire dicitur, uel ab eius quod in aliquid cadere, aut non cadere asserimus, quod attributum uoco, alij prædicatum: uel ab utriusque definitione argumentum sumi licet. Ab eius definitione quod subiectum uocāt, ut fecit Cicero in Topicis, Ius ciuile est æquitas constituta ijs qui eiusdem ciuitatis sunt ad res suas obtinēdas. Eius autem æquitatis utilis est cognitio, utilis est ergo iuris ciuilis scientia. Hoc enim argumentum ad hanc quæstionem accidentis adhibetur, Sit'ne utilis iuris ciuilis scientia? in qua hoc totum, iuris ciuilis scientia, subiectum esse constat. Ab eius autem definitione quod prædicatum alij uocant, ut illud Ciceronis in secundo*

libro de oratore, Si maiestas est amplitudo ac dignitas ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus pop. Ro. tradidit, non qui eum qui id fecisset, pop. Rom. potestati tradidit. Hoc enim quaeritur, Is ne maiestatem populi Rom. minuerit, qui eum pop. Rom. potestati tradidit, qui exercitum hostibus pop. Rom. tradidit? Ab utriusque autem definitione interdum non solum licet, sed etiam necesse est: sed tum maximè, cũ idem ne sit unum quod alterum ambigitur. Ut si quaeratur, Sit ne temperantia idem quod continentia? ex utriusque definitione argumentum ducatur necesse est, siue id confirmandum sit, siue refellendum. In alijs etiam quaestionibus idem faciendum est necessarió. ut si quaeratur, An qui indignatur, sit inuidus? Neque enim haec unquam explicabitur quaestio, nisi quis sit qui indignetur, & quis sit inuidus, definitione aperiatur. Sunt autem nonnullae quaestiones ad quas alterutrius, aut utriusque uerbi arbitratu nostro definitionem adhibere possumus. Sed uidendum est diligenter, utrum magis causae nostrae prodesse poßit. Hic autem locus & ad cõfirmandum ualet, ut dixi, & ad refellendũ. Nã & quod definitioni cõuenit, rei etiam quae definitur, conueniat: & quod nõ conuenit definitioni, nec ei quod definiatur cõueniat necesse est. Itemq; cui attribuitur definitio, ei etiam res attribuitur: & in quod definitio non cadit, in id etiam res quae definitur non cadit necessarió. Sunt enim haec duo quasi capita & initia quae huic loco uim tribuunt.

quorum illud ad eas quæstiones adhibendum est, quarum id uerbum quod subiectum uocant: hoc autem ad eas, quarũ attributum definietur. In superioribus enim definitioni attribuitur aliquid, aut detrahitur, ex quo idem rei quam definimus, conuenire, aut non conuenire concluditur: in posterioribus autem, alicui definitio cõuenire, aut non conuenire ostenditur, ex quo ei etiam conuenire, aut nõ conuenire concludetur res quam definiemus. Quod ex ijs quæstionibus, quas paulò antè posui, perspici potest. Intelligendum est autem, argumentum, quo res ea quæ definitur ex definitione efficitur, firmum esse illud quidem, sed nihil ad hunc locum pertinere. Neque enim unquam eiusmodi quæstio in disputationem incidit, in qua ex eo aliquid definitioni cõuenire probandum sit, quia rei quæ definiatur cõueniat: aut in aliquid definitionẽ cadere, quòd in id res cadat cuius uis definitione explicetur. Quo factum esse puto, ut ueteres nullum locum in hoc genere à re quæ definitur, tradiderint, cum non solum causarum, sed etiam effectorum locum tradidissent. Quæstiones autem eorum quatuor quæ incidunt sola in disputationem, hoc definitionis loco tractari omnes possunt, præter illã quæ est definitionis. Neque enim in eam potest incurrere, præsertim cũ definitio alicui conuenire quod definitur, definitione alia doceri nõ poßit. Quî enim proposita hac quæstione, An sit homo animal rationis particeps, aut alia eiusdem generis, definitione id uel uerũ esse, uel

falsum concludi potest? Nam si id fiat, aut hæc eadem quæ in quæstione est, aut alia ad id probandum adhibebitur. Si eadem, ridicula erit multis modis probatio. Si alia, aut rei propositam naturam declarabit, aut alterius. Si alterius, nihil ad hunc locum pertinebit. Si rei propositæ, cum idem hæc ualeat quod altera, in confirmando facilè definitio esse negabitur, in refellendo non definitionē, sed nosmetipsos refellemus, & pugnantia loquemur. Non est autem dubium, quin si hoc unum quæratur, an oratio quæ eadem definitio est, subiecto conueniat omnino, id confirmari poßit, si negetur: & refelli, si concedatur, ea quæ ex alijs causis erit definitione. Vt si quæratur, Sit ne homo animal rationis particeps mortale, idq́; negetur, ad id confirmandum definitio hæc adhiberi poterit, Homo est animal beatæ uitæ adipiscendæ causa fictum & compositum. Quod autem animal beatæ uitæ adipiscendæ fictum & compositum est, idem rationis est particeps & mortale. Homo igitur est animal rationis particeps mortale.

Generis autem quæstio definitione tractabitur, ut si quæstio ponatur, Sit ne animus numerus? eáque concedatur, refelli poterit numeri definitione hoc modo, Si numerus multitudo est unionum, et animus nullus est unionū multitudo, quomodo animus numerus esse poßit? Eodē modo de his iudicandū est, An continentia sit uirtus? An uirtus sit scientia? alijsq́; eiusdem generis. Proprij etiā atq; accidētis quæstionū hic locus est: quos

sibi quisq; exēplis superioribus adiutus, proponere poterit ad imitandū. Proximus locus est ab enumeratione partium. Primū dicendum est quæ sint partes quæ enumerentur in hoc tractādo loco: deinde eius usus erit docēdus. partes quidē dicuntur, in quas totū diuiditur, siue formæ sint, siue partes. Totius autem nomine appellamus hoc loco, non solū res, sed etiā uerba nōnulla, quæ multa cōplectuntur, ex quibus quasi partibus cōstant, cuiusmodi sunt genera potißimū. Itaq; ex hac totius duplici appellatione duo genera huius tractādi loci nata sunt. Cū enim generis formæ enumerātur, tū diuisione: cū rei partes, tum partitione tractatur. Genus autem duobus modis in partes distribui potest: in formas, & differentias. In formas hoc modo, Animalium aliud est homo, aliud equus, aliud bos, & cætera. uel sic, Animalium aliud homo, aliud bestia. In differentias hoc modo, Animalium aliud est rationis particeps, aliud expers. Animalium aliud est terrenum, aliud aquatile, aliud ancipitis uitæ. Res etiam duobus modis in suas partes distribuitur, primo ut si dicam, Domus aliud fundamentum, aliud contignatio, aliud tectum. Deinde hoc modo, hominis aliud corpus, aliud animus.

Additur etiam tertius modus, hominis aliud caro, aliud os, aliud neruus & cætera. Atque hoc quidem, ut ita dicam, essentiale dicitur diuidendi & partiendi genus, quòd siue genus, siue res in ea quæ naturā ipsorum attingunt, diuidatur. Aliud est genus diuidendi,

quod κατὰ συμβεβηκότα dicitur, cum res in ea quæ naturam eius nõ attingant, distribuitur, aut contrá. ut cum dicimus, Animalium aliud album est, aliud nigrũm, aliud neutrum. Hoc genus fusum est per nouẽ postremas categorias. In quantitate huiusmodi est, hominum alius est longus duos pedes, alius tres, alius quatuor. In ijs quæ cum aliquo conferuntur, Hominum alius pater, alius filius. In qualitate, Hominum alius bonus, alius malus. In actione, Animalium aliud loquitur, aliud non loquitur. In patiendi categoria, ut Animalium aliud uolat, aliud graditur. In loco, Animalium aliud in terra, aliud in aqua, aliud in utroq; uiuit. In tempore, ut Auium aliæ hyeme occultantur, aliæ uidentur. In situ, Animalium alia recta, alia prona incedunt. In habendi categoria, ut Animalium alia tecta sunt uillis, alia alijs. Ita nouem erunt diuisionis genera, quibus res in attributa sua distribuetur, & multæ partes generũ singulorum. Totidem etiam erunt eius partitionis, qua accidentia in accidentia diuiduntur. Hoc genere ea diuidũtur, quæ nomen à categorijs sumunt, quæ παρώνυμα dicuntur. Vt quantorum alia trium sunt cubitorum, alia pauciorum, alia plurium. Patrum alius lenis est, alius durus, alius neutrum. Bonorum alij sunt iusti, alij temperati, alij fortes, alij liberales: itèmq; alij. Eorum qui agunt, alij docent, alij scribunt, alij aliud faciunt. Eorum qui patiuntur quid & accipiunt, alij docentur, alij aliud. Eorũ qui in loco sunt,

quidam Asiæ, alij Africæ, nonnulli Europæ sunt incolæ. Eorum qui tempore circunscribuntur, alij uere, alij hyeme, alij autumno, alij æstate rectius ualent. Eorum quæ collocata sunt, quædam prona sunt, quædam recta, quædam supina, quædā alio modo sita. Eorum qui tecti sunt, quidam sericati sunt, quidam purpurati, quidam auro, quidam argento fulgent, quidam lana, alij alia ueste amicti. Licet etiam accidentia in ea diuidere, in quibus inhærent, id est in subiecta, in quo per nouem categorias postremas expatiari possumus. Sed pauca exempla satis erit subijci. Bonorum alia sunt animi, alia corporis. Virtutes aliæ sunt in ratione sitæ, aliæ sunt in uolūtate siue appetitu, aliæ sunt in alia parte. Perturbationes aliæ sunt in ea animi parte, quæ uoluptate alitur, quæ concupiscibilis uocatur, aliæ in ea in qua irarum existit ardor. Nunc quoniam omnia diuisionum partitionúmq; genera uideor persecutus, dicendum est, quæ uitia in ijs uitare debeamus. Vitium quidē est uel maximum in diuidendo, tum partem abesse, tum superare. Illud etiam uitiosum est, partem in genere, aut genus in parte numerare. Prima duo uitia diuisioni cōmunia sunt cum definitione. Itaq; paulò antè uerba Ciceronis ex II. *libro de Oratore, quibus idem de utraq; confirmat, protuli. Tertium autem idē Cicero* II. *libro de Finibus in Epicuro reprehēdit his uerbis, Quomodo autē philosophus loquitur tria genera cupiditatū, naturales & necessarias, naturales & non necessarias, nec natu-*

rales nec necessarias: primum diuisit ineleganter. Duo enim genera quæ erant, fecit tria, hoc est non diuidere, sed frangere rem. Qui si diceret cupiditatum esse duo genera, naturales & inanes: naturalium quoque item duo, necessarias & non necessarias, confecta res esset. Vitiosum est enim in diuidendo, partem in genere numerare. Atque hæc quidem ille. Nos autem dicamus, quid sit in diuidendo partem in genere numerare. Aliud quidem est nihil, nisi in diuidendo id genus ponere, quod est pars, id est, id in partibus rei quæ diuiditur, nominare, cuius illarum partium aliqua sit genus. Vt exempli causa, Epicurus in superiore hac diuisione, Cupiditatũ aliæ sunt naturales & necessariæ, aliæ naturales & non necessariæ, aliæ nec naturales nec necessariæ, posuit necessarias cupiditates esse genus cupiditatum, cum sint naturalium partes. Itaque illa diuisio huic persimilis est, Animantium aliud rationis est particeps, aliud bos, aliud rationis expers. Bos enim non est genus animantium, sed pars eorum, quæ sunt rationis expertia. Itaque rursus diuidenda sunt expertia rationis hoc modo, Expertium rationis, aliud est bos, aliud equus, aliud leo, & ita in singulis. Quemadmodum autem videndum est, ne in diuidendo partem in genere, sic ne genus in parte numeremus, id est ne rei quæ diuiditur id partẽ esse dicamus, quod eius sit genus, vt si diuidamus voluptatem hoc modo, Voluptatum alia gaudiũ est, alia lætitia, alia delecta-

tio. Nam gaudij & delectationis verba, aut latius quàm voluptatis, aut tam latè patent. Sed hoc vitium quædam est particula illius, cum in diuisione aliquid superat & redundat. Sunt enim eius genera plura. Plena igitur tum deniq; erit diuisio, cũ pars nulla neque aberit, neque superabit. Sic enim fiet, id quod in eiusmodi re est necessarium, vt partes vniuersæ ac totum æquè pateãt. Nec verò necesse est semper ne in diuisione quidem, omnes enumerare partes. Quis enim omnia animantium genera diuidendo posſit percurrere? Quòd si quando necesse est, tum denique est, cùm differentijs in diuidendo vtimur, aut cum paucæ sunt formæ generis, quod diuidimus. Restat vt quæ argumenta ex hoc loco ducantur, ostendam. Hic sane locus & ad refellendum valet, & ad confirmandũ. Duobus autem modis confirmare possumus. Nam ex partibus per disiunctiones aut totum concluditur, aut pars vna infirmatis cæteris. Prioris generis tale exemplum est, Si aut censu, aut vindicta, aut testamento liber factus est, est liber. Censu autem liber factus est. Est igitur liber. Tale etiam illud est, si quæratur an sit expetenda virtus? Si virtus aut in ijs est quæ decus & honestatem pariunt, aut in ijs quæ delectationem, aut in ijs quæ vtilitatem afferunt, expetenda est. Est autem in ijs quæ decus & honestatem pariunt. Est igitur expetenda. Posterioris generis exemplum est illud Ciceronis in II. de orat, Aut senatui parendum de salute

Virtus, an expetenda sit.

reip. fuit, aut aliud consilium instituendũ, aut sua sponte faciendum. aliud consilium superbum, suũ arrogãs. vtendum igitur fuit consilio senatus. Idem in oratione pro C. Rabirio, Atqui videmus hæc in rerum natura fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cũ bonis, aut lateret. Latere mortis erat instar turpissimæ. Cum Saturnino esse, furoris & sceleris: virtus & honestas cum cõsulibus esse cogebat. In refutatione etiam duobus modis hoc loco vti licet. Nam vel per disiunctiones ex partibus enumeratis & omnibus infirmatis, vel disiunctionibus prætermissis, ex partium refutatione, totum refellitur. Atque à priore genere appellatur enumeratio. Sic enim à Cicerone lib. 1. de inuentione definitur. Enumeratio est, inquit, in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur. Exemplum hoc ponit deinceps, Necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut metus, aut spei, aut alicuius amici gratia: aut si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium susceptum esse non potest. Sed neq; inimicitiæ fuerunt, nec metus vllus, nec spes ex morte illius, alicuius commodi, neque ad amicum eius aliquẽ mors eius pertinebat. Relinquitur ergo, vt ab hoc non sit occisus. Hoc quidem exemplum non esse accommodatum superiori definitioni, omnes intelligere arbitror. Nam & hoc exemplum reprehensionis est, & illa definitio id solum quod confirmationis est, complecti-

Enumeratio

tur. Idem Cicero tota ferè ea oratiõe, qua Sex. Rosciũ Amerinũ contra Chrysogoni potentiam defendit, argumenta ab hoc loco sumit. Sed ex ijs vnum hoc tantum proferam, Nunc Eruci ad te venio. Conueniat mihi tecum necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas, aut per aliquos liberos, aut seruos. Liberósne? quos neque vt conuenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque vbi, neque per quos, neque qua spe, aut quo precio potes ostendere. Ego contrà ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere, quòd neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædijs vnquam temere discesserit. Restare tibi videbatur seruorum nomen, quo quasi in portum reiectus à cæteris suspicionibus confugere posses: vbi scopulũ offendis eiusmodi, vt non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. Interdum duæ tãtum partes exponuntur, idq́ue fit tum maxime, cum genus in differentias diducitur. Cicero in oratione pro Flacco. In ærario nihil habent ciuitates, nihil in vectigalibus, duæ rationes conficiẽdæ pecuniæ, aut versura, aut tributo, nec tabulæ creditoris proferuntur, nec tributi confectio vlla recitatur. Conclusionem vt perspicuam reliquit. Posterioris autẽ generis illud ex Ciceronis Topicis exemplũ est, Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber: neque est vlla earum re-

rum, non est igitur liber. Eodem illud pertinet, si quæratur, Poßint ne contraria eidem conuenire? Si neque aduersa, neque aientia & negãtia, neque ea quæ cum aliquo conferuntur, neque priuantia eidem conuenire possunt, contraria eidem non possunt conuenire: nulla autem horum possunt: ne contraria quidem igitur. In hoc & in simili exemplo, vnãquãque partem rursus in suas partes Aristoteles vult diuidi, sed eam potißimùm de qua erit controuersia, vt si controuersia sit de aduersis, hoc modo eorum partes exponere licebit, Si neque candor & nigror, neq; valetudo & morbus, neque iustitia & iniustitia, fortitudo & ignauia, temperantia & intemperantia, aliaq; eiusdẽ generis eidẽ conuenire non possunt, ne aduersa quidẽ possunt. Neq; vlla eorum possunt, non igitur aduersa possunt eidem conuenire. Atque hæc quidem argumenta ducũtur ab earum partium enumeratione, quarum vnaquæque de toto verè dicitur, cuiusmodi sunt formæ. Ab earũ autẽ partium enumeratione, quæ non singulæ, sed solũ vniuersæ in toto verè dicuntur sumptum argumentum, in probando non per disiunctiones, sed per coniunctiones explicatũ valet: in reprehendẽdo autẽ per negationes. Cõfirmationis tale est exemplum, Si & radix est, & caudex, & cortex, & frõdes, & rami, arbor est: hæc autem sunt omnia: arbor igitur est. Item huiusmodi, Si & res ciuilis scientiæ inuenire, & inuentas dispone re, & dispositas memoria tenere, atque animo cõpre-

Cõfirmationis exẽ

hendere,& comprehensas animo, cum vocis, motus, vultus atq; omnis actiõis dignitate eloqui & pronunciare potest,orator est: horũ autem omniũ facultate est præditus:est igitur orator. Refutationis idẽ exemplum erit,si conuertatur hoc modo, Si neq; res ciuili rationi propositas inuenire potest,neq; inuẽtas disponere,&c. non est orator: hæc autẽ non potest: non est igitur orator. Hæc duo argumẽta firmissima sunt vt superiora, si partes omnes enumerẽtur. Refellẽdo autem interdũ valet,per disiũctiones,etiã si non omnes partes exponantur,sed tãtũ necessariæ,id est, eæ solũ quæ ita totius naturã attingũt,ut si tollãtur,etiã illud tollatur: si sint, illud etiã sit necessariò. Neque enim si manus,aut pes homini abscidatur,propterea hõ aut animal esse desinit. At si caput,si thorax,si crura sint, etiã sublatis cæteris hõ erit Propriè autẽ hæc intelligo. Neq; enim caput abscisum,aut manus,propriè caput aut manus dicitur. Itaq; quæ partes necessariæ sunt,quæ non necessariæ diligẽter videndũ est. Refelli autẽ per disiunctiones potest,id de quo quæritur, si vna desit earum quæ necessariò totum comitantur, hoc modo, Si aut rerum humanarum causas,aut diuinarum nescit, non est sapiens: alterarum autem causas nescit: non est igitur sapiens. Atque hic quidẽ locus ab enumeratione partium,cum à formis ducitur, in cõfirmatione vim suam ab hoc quasi capite mutuatur, Cui pars aliqua aut forma cõueniat,eidem totum,siue genus cõuenire. In re-

Refutatiõis exẽplũ

futatione ab hoc, Cui forma nulla aut necessaria cõueniat, ei genus minime conuenire. Si autem sumatur ab enumeratione partium totius quod non est genus, in cõfirmatione quidem firmum est ob eã causam, quòd cui partes omnes aut certè necessariæ conueniunt, ei etiam totum conueniat necesse est. In refutatione autem eodem, quo superius capite confirmatur. Quod autem in loco definitionis admonui, id etiam hoc in loco intelligendum est, cum hic locus ab enumeratione partium ducatur, hoc posse fieri tribus modis. Nam & ab enumeratione partium eius cui quid tribuitur, aut detrahitur: & ab eius quod alteri tribuitur, vel detrahitur (hoc autem prædicatũ, illud subiectum vocant) & ab vtriusque partium expositione argumentum elici potest. Ab eius quidem partiũ enumeratione cui quid tribuitur, sumitur. vt si quæratur, An eidem contraria conuenire poßint? Contrariorum enim partes exponendæ sunt, quemadmodum supra exposui. Ab eius autẽ quod in quæstione extremum est partibus, ducitur. vt in hac, Vtrorũ partes bonus ciuis in ciuili tumultu sequi debet, bonorúm ne an malorum? Quod supra tractatum à Cicerone argumẽtum ex Rabiriana oratione protuli. In quo etiam genere illa est eiusdem quæstio, Sitne credibile patrẽ à filio occisum esse? Itaq; attributi, id est, cædis faciendæ genera sic diuisit, vt vel ipse per se, vel per liberos, vel per seruos eum interfecerit. Ab vtriusque partibus duci potest, vt in supe-

riore quæstione. Nam & à contrariorum partibus ducitur, vt iam ostendi, & ab eius rei cui quid attribuitur, hoc modo, Si neque in hominibus cõtraria insunt, neque in equis, neque in bubus, neq; in re vlla animata aut inanimi, contraria eidem non conueniunt: In earum autem nulla insunt: Non igitur eidem simul conuenire possunt. Hæc mihi plane exponenda & tradenda putaui, quòd multos sciam esse, qui aut à cuius partium enumeratione sumendum sit argumentum, prorsus ignorent: aut si sciant, tãtum ab vnius partibus duci putent oportere. In quatuor autem quæstionum genera hic locus incurrere potest. In quo cũ vtile erit diuisionũ, partitionumque genera, quæ paulò antè exposui, tenere: tum notare diligẽter, vnde ducatur diuisio, quotque modis id de quo agetur poterit diuidi, vt firmissima potissimum argumenta sumamus. Res autem ferè est nulla, quæ non multifariam diuidatur, tum in ea quæ naturam eius explicant, tum in ea quæ non explicant. Quæ naturam explicarent & attingerẽt, quæ non attingerent in definitionis loco exposui, ex quo petenda erunt quæ ad hunc pertinebunt.

Locus proximus est ex toto, qui superiori quasi ex altera parte respondet. Vt enim illic ex partibus totũ, siue ex formis genus, ita hic contra ex toto partes, formæ ex genere concluduntur. Itaque non est dubium quin æquè firmum argumentum ex eo sumatur. Quoniã autem cum superiore cohæret, pauca dicenda

sunt.Nos quidem quid totum hoc loco diceretur,paulò antè exposuimus.Sed quid totum à genere differat,aliquid prætereà dicendum est. Totius quidem nomine interdum genus appellatur, interdum aliud totum,aliud genus esse dicitur.Vt autem superiore loco genus & totum totius appellatione comprehẽdimus,sic hoc cõplectimur.Sed vt genus à toto in locis & inueniendis & tractandis separetur,dãda opera est, ne similitudine fallamur. Quid autẽ differrẽt iam diximus,sed paulò planiùs pluribusq; dicendũ est.Nihil quidẽ est omnino,quo genus à toto facilius internosci poßit,q̃ si intelligas vtrunq; in partes suas distribui,sed ita vt generis vnaquæq; pars quã formã & speciẽ vocamus, à genere nunquã seiungatur, id est semper de eo verè dicatur,quoad nomen suũ retinet, totius autẽ nulla verè de genere dicatur.Nã si cõstituamus,exempli causa virtutẽ,quæ genus est,singulæ eius partes siue formæ vt iustitia,ut fortitudo,ut temperãtia, cæteræq; omnes, virtutis appellabũtur nomine.Iustitia enim virtus est, & virtus est tẽperãtia, itemq; cæteræ. At si cõstituamus verbi causa,domũ,quæ totũ aliquid est,nec fundamentũ domus dicetur,nec tectũ,nec cubiculũ.Quod eodẽ modo iudicandũ est de ijs, quæ tota vocãtur, nec ex partibus cõstant aliquã eminentiã aut soliditatẽ habentibus,cuiusmodi sunt artes singulæ.Nã cũ rhetorica,vt de hac potißimum dicam,inuentionem,& dispositionem,tanquam partes habeat,tamen nec disposi-

tio rhetorica est,nec inuentio. Alias præterea eorũ dissimilitudines & distinctiones commemorare possum, sed quia nulla hac facilior aut certior est, ea debemus esse contenti. Sed ne errore hic labamur,hoc intelligendum est,nos,cum hunc locum ex toto appellamus, sic appellare,vt ex toto eius partes concludi velimus. Alius enim ex toto intelligitur, cum ex eo pars vna concluditur,de quo mox erit differendum. Hic autem locus tum in probando valet, tum in reprehendendo, (his autem verbis idem declarari volo quod illis,quæ vulgo dicuntur, Procedit affirmatiuè & negatiuè.) Idemque ne longum faciam, iisdem in rebus,eodemq; modo quo superior valet,nec verò ab illo differt,nisi, vt iam dixi,conuersione. Quanquam non vidẽtur vel superioris loci exempla conuerti,vel noua poni posse. Nam siue illud Ciceronis conuertamus,hoc modo, Si ciuem necesse erat esse cum aliquibus, aut cum malis necesse erat eum esse,aut cum bonis:cum malis esse,furoris & sceleris erat: virtus igitur & honestas & pudor cum bonis eum esse cogebat: siue hoc modo, Si ciuem necesse erat esse cum aliquibus, aut cum bonis, aut cum malis eum esse oportebat:necesse autem erat: cum his igitur aut cum illis: huius loci propriũ non videbitur. In priore enim ex toto pars concluditur:in posteriore partes concluduntur illæ quidẽ,sed ita,vt puerilem doctrinam illa redoleat conclusio. Quòd si quis dicat satis esse,si connexum sit ex disiunctionibus,non

nego firmum esse argumentum, sed in eo assumptionẽ prætereo, conclusionemque desydero. Atque hæc quidem dici possunt pro veteribus, qui hunc locum minimè tractarunt. Quæ autem ad aliorum qui eum adhibuerunt, opinionem dirigi accõmodarique possint, ea dicamus. Primùm quidem non est dubium, quin ex toto partes per disiunctiones concludantur probando, hoc modo, Si virtus est, vel iustitia, vel fortitudo, vel temperantia, vel alia aliqua sit necesse est. vel illo, Virtus est, aut iustitia igitur, aut temperantia, aut alia eiusdem generis. Itemque huius loci hoc exemplum tale est, Si occidit patrem, aut manu sua occidit, aut per liberos, aut per seruos. Refellendo autem, toti negatio adiungenda est & partibus, hoc modo, Si non occidit patrẽ, nec manu sua, nec per liberos, nec per seruos occidit. Si nõ est animal, nec homo est, nec bos, nec equus. virtus non est, igitur nec fortitudo, nec iustitia, nec temperantia. Sunt hæc quidem ex toto simplicia argumenta. Coniuncta autem an recipiat, videamus. Mihi quidem videntur tractari posse in confirmatione, hoc modo, Si occidit, aut ipse sua manu, aut per liberos, aut per seruos. Occidit autem, igitur aut ipse manu sua, aut per liberos, aut per seruos. In refutatione autẽ hoc modo, Si non est liber, neque censu, neque vindicta, neque testamento factus est liber, non est autem liber, nõ igitur censu, neque vindicta, neque testamento est factus. Nec mirum videri debet, si in assumptione & conclu

ſione eadem dicantur, quæ dicta ſunt in propoſitione. Nam Cicero ab enumeratione partium ducens argumentum in Topicis, ea quæ in propoſitione dixerat, in aſſumptione & concluſione repetiuit eodem modo, Si neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento eſt factus liber, non eſt liber: neque eſt vlla earum rerũ: non igitur eſt liber. His tantum modis hic tractatur locus. Neceſſe eſt enim ex ſumptionibus concluſionem effici, in qua plures partes ſint collocatæ, quod alijs modis minime fiet. Quod adhuc dixi de toto, ad genus referri debet. Nã ex toto quod ex cohærẽtibus partibus cõſtat, minime partes concluduntur refellendo. Neque enim ſi domus non ſit, idcirco nec fundamentũ, nec paries erunt. In ijs autem quæ nec ſunt genera, nec conſtant ex partibus cohærentibus, valet. Si enim nullus ſit animus, nec mens erit, nec ratio, nec appetitus voluntarius. Itemq́ue ſublata rhetorica, nec inuentioni erit, nec collocationi, nec actioni rhetoricæ locus. Hic etiã locus quẽadmodũ ſuperior, in quatuor quæſtionũ genera incidere poteſt, in quibus tum ſubiecta quæ vocantur, tum attributa tota eſſe poſſunt. Itaque videndum eſt diligẽter, id quod ſuperioribus locis admonui, vtrũ ſit ad cauſam noſtram aptius, à ſubiectióne, an ab attributo vt à toto, argumentum ſumere, ſiue confirmemus quid, ſiue refellamus. Cunq́ue eadem res multis varijsq́ue modis tribui ac diuidi poßit, quo potißimũ genere vtamur, conſyderandum eſt. Quas autem vir

A uerbi nomine

tutes superioris loci esse diximus, quæq; uitia, eadẽ etiã huius sunt. Sequitur notationis locus. Notationẽ hic significationẽ cũ Cicerone dico. Aristoteles enim σύμβολον appellat, quod latine nota siue notatio. Hic autẽ locus κατ' ἐτυμολογίαν, id est, ex etymologia etiã nominatur, & ex vi nominis, ꝙ vis nominis, non rei explicatur, eoque à definitione differt. Definitio enim vim naturamq; rei quæ definitur, explicat, vim autẽ verbi notatio. Facilis est hic locus. Eius tale exemplũ est, Si philosophia studiũ est sapiẽtiæ, & sapiẽtia nihil præstãtius, omniũ profecto artiũ philosophia præstantißima est. Firma autẽ argumẽta ex hoc loco nõ sumũtur, nisi uis uerbi etiã rei quæ eo significatur, cõueniat. Neq; enim si quis bonus aut agathus vocatur, cõtinuò etiã in eo uirtus inest. Interdũ etiã uis uerbi rei conuenit, sed ad aliã significationẽ traducitur. Ita vt sit firmũ argumẽtũ, non solũ uim nominis rei cõuenire oportet, sed etiam eo modo quo cõuenire dicitur. Vt si quis Atrius appelletur, isq; ater sit, non rectè concludas eũ vt malũ esse fugiendũ. His quidẽ argumentis in orationibus locus est, in quibus ex nomine aliquid suspicionis moueri potest. Id quod Cicero multis locis obseruat. In disputationibus autem non valent, propterea quòd non est vt dixi firma conclusio. Est autem hic locus & facilis vt dixi, & quædam forma definitionis. Itaque non multum operæ in eo explicando ponẽdum est. Si quis plura desyderet, ea à definitionis loco pe-

tere debebit. Nam & quæstiones omnes quæ in definitionis, etiam in notationis locum incurrunt, & quemadmodum ille locus ex eo in vtranque partem valebat, quòd cui aut conueniret aut non conueniret definitio, ei etiam res quæ definiretur, conueniret aut non conueniret, & cōtrà: ita hic ex eo valere dicitur in vtranque partem, quòd in quo verbum intelligitur, aut non intelligitur, in eo etiam vis verbi intelligatur, aut non intelligatur. Proximus locus est coniugatorum, quæ eadem Cicero in secundo de oratore libro cōiuncta nominat. Græcè autem σύζυγα, & σύστοιχα dicuntur. Cōiugata autē dicūtur, vt ait Cicero, quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt quæ orta ab vno variè commutantur, vt sapiens, sapienter, sapientia. Iustus, iustè, iustitia. Fortis, fortiter, fortitudo. Eius autem vsus est plurimus in probando & refellendo: valet enim in vtranque partem. Quod enim coniugatorum vni conuenit, aut non conuenit, etiam cæteris conueniat aut nō conueniat necesse est: & cui vnum coniugatorum conuenit aut non conuenit, in id etiam reliqua necesse est conuenire aut non conuenire. Itaque huius loci multiplex probatio est. Posita enim quæstione, si à coniugatis eius quod subiectum dicunt, argumentum sumatur, tum ob eam causam firmum erit, quia quod in vnum cōiugatorū cadit, id etiā cadit in cætera. Sin ab attributi coniugatis eliciatur, vim sumet ab illo, Cui vnum coniugatorum conuenit,

Coniugata

etiam reliqua conuenire. Consyderādum est igitur, quō ex genere ducendum sit argumentum, vt quod opponamus, habeamus. Rursus vel eo quod positum est, aliud coniugatorum concluditur, vel ad id quod positum est probandum vel reprehendendum adhibetur. Si enim quæratur, sit'ne vitiosum disputare, idq́ue verum esse quis dicat, duobus his modis id licebit refellere, Si vitiosum est differere, vitiosa et perniciosa est dialectica, Si dialectica non est vitiosa, nec vitiosum est differere. Priorem modum in Oratore ad Brutum Cicero tenuit his verbis, Nā si vitiosum est dicere ornatè, pellatur omnino è ciuitate eloquentia. Disputat enim contra eos qui eum reprehendebant, quòd de artificio dicendi literis tam multa mandaret. Atque hoc genus simplex est. Simplex autē appello, in quo cōtraria nulla ponuntur. Contraria non ponuntur, vt in hoc exēplo, Si iustitia est laudabilis, etiā quod iustè fit est laudabile, & iustus vir, laude dignus. Cōiunctū autē voco, id in quo multa collocantur contraria, vt si quæratur, An sit iustitia, sciētia? idq́; cōcedatur, refelli poterit hoc modo, Si iustitia sciētia est, et iniustitia inscitia. Et si quod iustè fit id sciēter fit, id etiā quod iniustè fit, insciēter fiat necesse est. Hoc genus ab Aristotele ut pleraq; alia, inuentū & tractatum est. Hunc autē in locū eæ potißimū quæstiones incurrūt, quæ existunt ex accidentibus. Reliqua tria genera incidunt, sed rariùs: nec unquam incidunt, nisi in ea aliquod accidens collo-

cetur. Coniugata enim sunt quæ uariè commutantur, cuius modi perpauca in naturæ & essentiæ categoria reperiuntur. Huius generis Terentianum illud ex heautôtimorumeno est, Homo sum, humani à me nihil alienum puto. In hoc genere uidendum est, ne unum coniugatorum ad alienam significationem transferatur. Vt si quis concludat, Si homines sumus, humana spectare debemus: aut hoc modo, si mortales sumus mortalia nobis debemus proponere, non rectè concludat. Vitiosum enim argumentum & captiosum est. Humanum enim quid duobus modis dicitur, & id quod terrenum & caducum est, & id quod come & affabile. Deinde sic hoc concluditur, ut si tantum ex corpore constaremus. Nunc autem etiam animo constamus, ut id potius sit concludendum, Si homines sumus constantes ex animo & corpore, quorum animus præstãtior est & immortalis, immortalia certè spectare debemus. Hunc autem coniugatorum locum, cur si quis miretur Ciceronem secutus ante generis & formæ locos tractauerim, iure quodam modo mirari videbitur. Nam genus & forma naturam rei, vt sæpe dixi, explicant, & coniugata non explicant. Huic ego respondeo, Ciceronem eũ antè tractasse, quòd cũ superiore cohæreret. Vt enim notatio vim solum verbi exprimit, sic coniugata coniugatorum solum sunt quædã mutationes. Nec verò notationem in tertio loco posuisset, nisi esset quædã forma definitionis. Mihi autem verum non videtur id quod

nonnulli dicũt, Cõiugata esse in rei natura & essentia, quòd sapientia in homine inhæret, non qua parte homo est, sed qua sapiens. Isto enim pacto comparata et similia, in re hærebunt. Neque enim homo similis alicui dici potest, nisi exempli causa vel virtute, vel vitio, vel aliqua alia affectione. Ita qua ex parte hõ alteri similis est, illa ei necessariò inest affectio. Coniugatis Aristoteles casus subijcit. Casus autem vocat sola illa quæ grammatici aduerbia nominant, vt fortiter, iustè, prudenter, quæque sunt generis eiusdem. Ita fit, vt casus inter se coniugata non sint, quòd nõ eodem quasi iugo coerceantur: collata autem cum alijs, coniugata erunt. Nam & fortiter fortitudini coniunctum est: & prudenter prudentiæ. Sequuntur duo loci finitimi et propinqui, quorum alter à genere, alter à generis forma ducitur. Primùm de generis loco dicendũ est, quod pateat latiùs. Quid sit genus, quotque modis dicatur, superiore libro dixi, cum de generis quæstionibus esset disputandum. Nunc ea solum dicemus, quæ ad inuentionem & tractationem eius loci qui ex eo sumitur, pertinent. Atque ad confirmandum quidem hic locus nihil valet: ad refutandum autem valet plurimùm. Cũ enim in pluribus genus quàm forma intelligatur, & de omnibus formis suis genus dicatur, si ex genere formam vnam probes, nulla: si ex eodem refutes, firma erit conclusio. Sed planiùs etiam hæc dicenda sunt. Dico hunc locum infirmum esse in confirmatio-

ne, propterea quòd non necesse est quibus genus conueniat, ijs formam cõuenire. Neque enim si virtus est in quopiam, idcirco ea est temperantia. Fieri enim potest vt sit iustitia, aut fortitudo, aut aliqua alia virtus. Itemque non si animal est aliquid, propterea ceruus est, nec si arbor, continuò pinus est. Hoc etiam eodem addi potest, quod in superioribus locis admonui, hunc eũdem locum non ualere, si ad confirmandam speciem adhibeatur, propterea quòd nõ necesse est quæcunq; cadunt in genus, eadem cadere in formã. Nam & virtus voluptates quæ ex gustatu & tactu percipiuntur rationi obedientes efficit: fortitudo non item. & animal est quadrupes, hõ non est. Hoc autẽ accipi uolo in ijs solũ quæ non omnino & uniuersè dicũtur. Cũ enim sic genus enunciamus, vt vniuersam eius vim complectamur, quãlibet nobis speciem ex eo licet concludere. Si enim omnis arbor uere florescit, etiã platanus florescat necesse est. Tractauit hoc modo Cicero argumentum in secundo de oratore, Si omnes qui reip. consulunt, chari nobis esse debent, certè in primis Imperatores, quorum consilijs, virtute, periculis retinemus & nostram salutem, & imperij dignitatem. Hoc modo idem actionem quartam in Verrem exorsus est, Omnes qui alterum Iudices, nullis impulsi inimicitijs, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti in iudicium reip. causa vocant, prouidere debent, non solum quid oneris in præsentia tollant, sed etiam quantũ

in omnẽ uitã negocij suscipere conẽtur, &c. Quãq̃ nõ formã ex toto genere, sed partẽ, quod indiuiduũ uocãt, cõcludit. Sed apud oratores ẽtiã eiusmodi argumenta ex genere vocantur. Quod vel ex Ciceronis illo exemplo quod ex genere ponit, intelligi licet, Ex genere autẽ, Si magistratus in Pop. Ro. potestate esse debent, quid Norbanum accusas cuius tribunatus volũtati paruit ciuitatis? In hoc autẽ exemplo illud, Si magistratus, pro eo positum est, Si omnes magistratus. Neque enim aliter firmum esset argumentum. Quod eodem modo licet concludere in ijs quæ generi cum formis singulis erunt communia, vt si contrariorum eadem est disciplina, certè in aduersis eadem disciplina versatur. Et si animalia viuunt, etiam talpa viuit. In refutatione autem semper magnam copiam suppeditat hic locus. Valet enim semper. Exempla ponenda sunt, Si nulla contraria sunt simul in eodem, nec aduersa esse possunt: nulla autẽ cõtraria simul in eodẽ esse possunt: nec igitur aduersa. Si nũquam fui Romæ, anno superiore non fui. Si nullum argentum mulieri legatum est, id quod erat in nominibus, non est ei legatum. Hæc sunt firmißima argumenta, quoties totum genus negatur. Si autem non negatur totum genus, sed eius tantum pars qualibet, nihil valet omnino. Neque enim si aliquod animal non currit, idcirco hominẽ non currere necesse est. Itaque non est hoc argumẽtum ex genere, sed potius ex generis forma, quandoquidem

aliquod animal non currere, idem est quod aliquid eorum quæ animalis verbum complectitur. Cum ergo dicimus hunc locum semper firmum esse in refellēdo, hoc dicimus, ex vniuerso genere negato formam eius concludi: quoniam sublato genere, etiam forma tollatur necesse est: & cui non conuenit genus, etiam formam necesse est non conuenire. Hoc autem fieri potest duobus modis. Nam totum genus sic negari potest, ut & uerbū negandi uim habēs præponatur, cuiusmodi sunt, nullus, nemo, & siqua sunt eiusmodi: & non præponatur, sed sola adiungatur negatio sine vllo verbo, quod genus ad partem solum transferat. De priore modo iā multa diximus: posterioris exempla hæc erunt, Si virtus moralis non est scientia, nec temperantia est. Non est autem virtus moralis scientia: nec igitur temperantia. Atque hoc quidem argumentum ex eo firmum est, quòd id formæ non conuenit, quod generi non conuenit. Quod autem sequitur, ob eam causam est firmum, quia cui non conuenit genus, ei necesse est eius formam non conuenire. Si suum alteri eripere nō est virtutis, nec fortitudinis est: non est autem suum alteri eripere virtutis: non igitur est fortitudinis. Hic autem locus ad quatuor quæstionum genera accommodari potest. Nec verò mirum aut absurdum videri debet, si ad quæstionem generis locus generis adhibeatur. Aliud est enim quæstio generis, aliud generis locus, id quod superiore libro demonstrauimus. Quæ-

stio enim ponitur: locus ad quæstionem probãdam aut refellẽdam inuenitur. Quæ cum ita sint, quid mirum, si posita quæstione generis, id quod cõceditur esse genus non esse genus ea re quæ illius est genus docetur? Vt si quæratur, Sitne animus numerus? idque cõcedatur, duobus modis id licebit refellere. primo, Si numerus est quantitas, & animus hominis nõ est quantus, profecto animus hominis numerus non est. altero, Si omnis animus est natura siue essentia: nullus autem numerus est essentia: nullus igitur animus est numerus. Vel hoc modo, Si animus est natura siue essentia, animus non est numerus. Est autem essentia animus. Nõ igitur numerus animus est. Quòd si in generis quæstionem hunc generis locum ita incurrere docui, nemo vt negare possit, iam de eo dubitandum non est, neque id mirum videri absurdúmve debet. Quò minus de cæteris ambigendum est. In hoc autem tractando loco Cicero monet ac rectè monet, non esse necesse vsque à primo genere & quasi capite arcessere, sed citrà licere, dum modò suprà sit id quod sumitur, quàm id ad quod sumitur: vtrunque enim rectè fieri potest. quanquam sunt quæstiones eiusmodi, in quibus alterũ tantum fieri licet, ne argumentum altius petitum esse videatur. Vt si quæratur, Sitne legata pecunia, quæ in nominibus est, aut, Sitne temperantia scientia? & quæ sunt eiusmodi, idque negetur, nihil facias si à primo genere, vt à qualitate ducas argumentum: in eo enim con

sit ne aius numerus?

ueniunt. Rursus si quæratur, sit'ne animius numerus: idq́ue concedatur, id non poßis loco generis refellere, nisi à capite arcessas, vt dicas animum esse in essentiæ parte, numerum autem non esse. Ex quo efficiatur, numerum non esse animum: aut numerum esse quantitatem, animum non esse. Atque vt aliquid de hac re dicam, quoties ea quærentur, quæ diuersis categorijs subiecta erunt & attributa, commodè a genere primo sumetur argumentum, sed ita commodè, vt id fere sit necesse. Non enim necesse erit, cum nota erunt genera illa quæ citrà erunt, vt si quæratur, sit'ne mũdus animal? idq́ue concedatur, in eo refellendo, potiùs dicam hoc modo, Si mundus non est animatus, mundus non est animal, quàm hoc, Si mundus non est essentia, non est animal. Quoties autem ea incident in disputationem, quæ erunt eiusdem generis, aut summi solum, aut etiam medij, rectè à proximo sumetur argumentum. Nam si solum sint eiusdem generis primi, frustra ab eo ducetur, quandoquidem vtrique conuenit, & præterea altius petetur. Debet enim, vt verè dicam, omnis quæ ad confirmandum quid adhibetur oratio, è proximo peti, ne remota & aliena probatio videatur. Itaque hoc etiam in genere faciendum est. Loci autem huius inuentio eadẽ est, quæ superiorum. Nam in quæstione de quacunque re sit, genus vel rei subiectæ vel attributæ inueniendum est, & ex eo concludendum quod volumus. Cõiunctus huic generis loco locus

ille est, qui à forma generis ducitur. Hic contrà quàm proximus, inueniendus est. Nam vt illic vel rei subiectæ vel attributæ genus dicebam reperiri oportere, & ex eo quod vellemus concludi: ita hic alterutrius species quærenda est, & ex ea concludendum genus. vt si quæratur, Sitne virtus expetenda? id confirmabitur hoc modo, Si iustitia expetenda est, virtus est expetenda. Valet autem solùm in probando. Omnis enim forma nomen generis semper retinet quandiù est. Ita cui forma conuenit, etiam genus conueniat necesse est: & quod in formam cadit, id in genus etiam cadit necessariò, vt si quid virtus est, id habitus sit necesse est: & si virtus expetẽda est, etiã habitus expetẽdus. In refutatione contrà infirmus est. Neq; enim si quid non est homo, idcirco non est animal. Sunt enim alia multa animantia, nec si virtus non est vitiũ, propterea habitus non est in vitio. Auaricia enim, & intemperantia, aliaque eiusdẽ generis tum habitus sunt, tum vitia. In hoc genere firmum erit argumentum, si posita hac quæstione, An voluptas sit bonũ? eaq; negata tractetur hoc mõ, Si voluptas quæ ex discendo capitur, in bonis est, voluptas est bonum. Voluptas autem quæ ex discendo capitur est in bonis: voluptas igitur est bonum. Quod enim in specie, etiam in genere dicitur. Huius loci & superioris vim Cicero in secundo de finibus his paucis verbis in vna re explicat, Ex quo illa efficitur, qui bene cœnent, omnes libenter

cœnare: qui libenter, non continuò bene. Sed vidẽdum est, ne verisimilitudine fallamur. Cum enim ex specie ad confirmandum genus firmum argumẽtum esse dico, non ad totum genus vniuersè concludendum valere dico, sed solum indefinitè. Neque enim sequitur, ut si voluptas discendi est in bonis, omnis in bonis sit voluptas. Illud autem intelligendum est, hoc loco non solum speciem vltimam & infimã nomine speciei accipiendam, sed omnem eam quæ primo ac summo genere continetur. Itaque speciem tribus modis diuidere possumus, vt alias summas & primas, alias infimas & vltimas, alias medias nominemus. Primæ species aut formæ sunt, quæ ita formæ sunt, vt supra nullam habeant, vt in categoria essentiæ, corpus & corporis expers, siue non corpus. Infimæ autẽ & vltimæ sunt quas nulla sequitur, vt homo, bos, canis. Mediæ autem quæ inter vtrasque locatæ sunt, ut corpus animatum, inanimum, natura sentiens, non sentiens & quæ sunt eiusmodi. Ab his igitur tribus formarum generibus, si ita res ferat, argumenta ducenda sunt, dummodo semper infrà sit quæ sumitur quàm id ad quod sumitur. Semper enim in paucioribus formà dicitur, quam genus. At formæ quæstio, solam vltimam cõplectitur. Nam cum generis quæstio in treis parteis sit distributa, in generis, in differentiæ, ac speciei quæstiones frustra quæstionem speciei poneremus, si speciei nomine tria formarum genera concluderemus. Vitio-

sa est enim, vt supra docui, ea partitio, in qua aliquid bis vel verbo, vel re dicitur. Ex quo perspicuum est, locum eum qui ex forma efficitur, in formæ quæstionem non incurrere. Nam cũ sola infima species in formæ quæstione quæratur: locus autem speciei ad genus confirmandum adhibeatur: profectò ei locus nullus in ea quæstione relinquatur necesse est. Quod eodem modo de proprij quæstione iudicandum est, nisi forte proprium in quæstione de genere dicatur. vt si quis neget animal esse ridens, id confirmabit hoc modo, Si homo est ridens, animal etiam sit ridens necesse est. Generis autem & accidentis crebræ quæstiones hic versantur, sed accidentis multò crebriores.

Simi litudo *Deinceps locus est similitudinis. Similitudo autem hoc loco est diuersarum rerum duarum aut plurium similis quædam inter se affectio. Malim enim ego affectionem hic, quàm qualitatẽ dicere. Nam qualitas aliquid dicit necessariò, cum sæpe in nulla re earum quæ similes hic dicuntur, aliquid insit. ut cum dico, Quod est in corpore oculus, id est mẽs in animo. Quemadmodum enim corpus sine oculo quo progrediatur, non habet, sed offenditur, læditur, & sæpe morte occũbit: sic animus, si mentem & rationem non sequatur ducem, labitur, errat, & peccat: cum hæc inquã dico, non facio, ut noui aliquid ad corpus animúmue accedat. Affectionẽ autẽ hoc rectè appellari ex eo perspici potest, quòd Aristoteles in Topicorum secũdo hunc tractans locum uer-*

bo idem declarante utitur, πάλιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει. Cui autem dubium est quin similia eodẽ modo affecta esse inter se, aut habere, nõ sit qualitatem eis inesse, sed solum quandam, quam alij habitudinem uocant, ego affectionem atque rationem? Cum enim dicitur, quod est in mari tranquillitas, id est in aëre serenitas: uentorum uacuitas est illa similitudo, quæ res nulla est, sed sola priuatio. Quapropter ita ut feci, similitudo definiatur. Similitudo autem hæc siue similis affectio non est in uno, sed in omnibus quæ hic similia dicuntur, sed tamen illa ratio euidẽtior in eo esse debet, unde argumentum ex similitudine sumitur. Semper enim certius debet esse id quod rem confirmat, quàm res quæ probatur. Similitudo autem in ijs quærenda est, & quæ sunt eiusdẽ generis, & quæ diuersorum, ut generis nomine speciem quoque intelligamus. In ijs quidem quæ sunt eiusdem generis Aristoteles ait uidendum esse, idémne cõueniat omnibus. Eiusdem autem generis sunt quæ eodem genere continentur, ut homines, canes, boues. Hæc enim omnia animalium genus complectitur. In his autem aut omnibus, aut multis, aut etiã quibusdam si idem reperiatur, hoc ipso dicẽtur similia. In ijs autem quæ sunt diuersorum generum, idem uult eandem rationem proportionémq; spectari. Quod fieri dicit duobus modis. Nã & hoc modo, Vt hoc ad illud, sic aliud ad aliud. & illo, ut hoc in illo, sic aliud in alio est. Prioris modi exemplum est eiusmodi, Quam rationem habet

habitudo
Affectio

sa est enim, vt supra docui, ea partitio, in qua aliquid bis vel verbo, vel re dicitur. Ex quo perspicuum est, locum eum qui ex forma efficitur, in formæ quæstionem non incurrere. Nam cũ sola infima species in formæ quæstione quæratur: locus autem speciei ad genus confirmandum adhibeatur: profectò ei locus nullus in ea quæstione relinquatur necesse est. Quod eodem modo de proprij quæstione iudicandum est, nisi forte proprium in quæstione de genere dicatur. vt si quis neget animal esse ridens, id confirmabit hoc modo, Si homo est ridens, animal etiam sit ridens necesse est. Generis autem & accidentis crebræ quæstiones hic versantur, sed accidentis multò crebriores.

Simi litudo

Deinceps locus est similitudinis. Similitudo autem hoc loco est diuersarum rerum duarum aut plurium similis quædam inter se affectio. Malim enim ego affectionem hic, quàm qualitatẽ dicere. Nam qualitas aliquid dicit necessariò, cum sæpe in nulla re earum quæ similes hic dicuntur, aliquid insit. ut cum dico, Quod est in corpore oculus, id est mẽs in animo. Quemadmodum enim corpus sine oculo quo progrediatur, non habet, sed offenditur, læditur, & sæpe morte occũbit: sic animus, si mentem & rationem non sequatur ducem, labitur, errat, & peccat: cum hæc inquã dico, non facio, ut noui aliquid ad corpus animúmue accedat. Affectionẽ autẽ hoc rectè appellari ex eo perspici potest, quòd Aristoteles in Topicorum secũdo hunc tractans locum uer-

bo idem declarante utitur, πάλιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει. Cui autem dubium est quin similia eodẽ modo affecta esse inter se, aut habere, nõ sit qualitatem eis inesse, sed solum quandam, quam alij habitudinem uocant, ego affectionem atque rationem? Cum enim dicitur, quod est in mari tranquillitas, id est in aëre serenitas: uentorum uacuitas est illa similitudo, quæ res nulla est, sed sola priuatio. Quapropter ita ut feci, similitudo definiatur. Similitudo autem hæc siue similis affectio non est in uno, sed in omnibus quæ hic similia dicuntur, sed tamen illa ratio euidẽtior in eo esse debet, unde argumentum ex similitudine sumitur. Semper enim certius debet esse id quod rem confirmat, quàm res quæ probatur. Similitudo autem in ijs quærenda est, & quæ sunt eiusdẽ generis, & quæ diuersorum, ut generis nomine speciem quoque intelligamus. In ijs quidem quæ sunt eiusdem generis Aristoteles ait uidendum esse, idémne cõueniat omnibus. Eiusdem autem generis sunt quæ eodem genere continentur, ut homines, canes, boues. Hæc enim omnia animalium genus complectitur. In his autem aut omnibus, aut multis, aut etiã quibusdam si idem reperiatur, hoc ipso dicẽtur similia. In ijs autem quæ sunt diuersorum generum, idem uult eandem rationem proportionémq; spectari. Quod fieri dicit duobus modis. Nã & hoc modo, Vt hoc ad illud, sic aliud ad aliud. & illo, ut hoc in illo, sic aliud in alio est. Prioris modi exemplum est eiusmodi, Quam rationem habet

habitudo

Affectio

ſcientia ad id quod ſcientia continetur, eandē ſenſus habet ad id quod ſub ſenſum cadit. Vtrunque enim uerſatur in cōtrarijs. Poſterioris erit tale, Quemadmodum aſpectus in oculo eſt, ſic mens in animo. Vtrunque enim ducis et principis locũ obtinet. Ac de ſimilitudinis quidē inuētione, hactenus. Nũc quot argumentorũ genera ex hoc loco ducantur, dicendũ eſt. Cicero quidē tria genera ponit, ἐπαγωγὴν, παραβολὴν, παράδειγμα, *id eſt, Inductionem, collationem, & exemplum. Inductio eſt cum ex pluribus collationibus oratio peruenit quò uult, hoc modo, Si is demum optimus eſt gubernator, qui eſt doctus, ſi auriga, ſi pædagogus: etiam Reip. rector. Collatio eſt, cum ut ille ait, una res uni, par pari comparatur. In oratione Cluentiana, Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus & neruis ac ſanguine & membris uti non poteſt. Exemplum autem quædam eſt inductio, quod alio loco docebimus. Eius eſt talis tractatio, Si Theagenes præſidium petiuit quòd tyrānidi immineret, ſi Piſiſtratus: etiā Dionyſius eo petit quòd tyrānidem affectet: Hoc locus eſt nullus ad notandum facilior: diſcerni autem à comparatione interdum uix poteſt. Itaq; uidendum eſt, nũ Cicero uel huius artis peritiſſimus auctor interdum eos cōfundat, ut in II. de Oratore, Ex ſimilitudine autem, Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? Pauló infrà, Ex maiore, Si bona exiſtimatio diuitijs præſtat, & pecunia tantopere expetitur,*

quãtò gloria magis est expetẽda? Aliquibus enim hæc duo argumẽta ex eodem loco, id est ex minore sumi uidebuntur, ex eoq; firma esse, quòd si cui quod minùs conuenire uidetur, conuenit ei, etiam cui magis cõuenire uidetur, magis cõuenire oporteat. Quid igitur, dicet aliquis, de eorum dißimilitudine dicendum sentiendúmq; existimas? Equidem sic existimo, inter similitudinis locum, & maioris minorisq; locos hoc interesse, quòd in similitudine nulla elationis & summißionis significatio datur: in maiore autem elationis, in minore summißionis ut etiam nomina declarant, datur. De loco autem illo qui ex pari ducitur, idem quod de similitudine iudicandum est. Atque ut horum inter se facilis, sic similitudinis & æqualitatis difficilis est distinctio. Sed tamen danda est opera, ut ea separare poßimus. Primũ similitudinis locus his uerbis, Quẽadmodum, Vt, Sicut, primo loco tractatur, secundo autẽ his, Sic, Ita alijsq; generis eiusdem. Is autem qui ex pari efficitur, nũquam ijsdem uerbis. Deinde hoc etiam differunt, quòd similia nunquam eadem, paria aut eadem sunt, aut æqualia. Nam cum dico, Pari gloria dignos esse & eos qui consulunt, Reip. & eos qui eam defendunt, æqualem atque adeo eandem gloriam utrisq; deberi censeo. Quanquam hæc non ita subtiliter semper obseruatur differentia, interdúmq; paria & similia idem efficiunt. Itaq; græci hos duos locos uno uerbo ὁμοίꙋ exprimũt. Sed id interdum simile, interdum par & æquale dicitur, ut ὁμοίως mo-

& minore

dò similiter, modò æquè & ex æquo. Cum autem ea quæ adhuc dixi, hos duos locos inter se quodammodo distinguũt, tum quod sequitur, maximè. Mihi enim ita hæc facillimè & uerissime discerni posse uidentur, si dicamus similitudinis locum uelle ea quæ similia sunt, simili modo se habere, aut eodem modo inter se affecta esse, paria autem æquè conuenire. Id quod Aristoteles ipse declarat. Locũ enim similitudinis explicat his uerbis, πάλιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει, *id est, Rursus in similibus argumentum ualet, si eodem modo habeant. Eum autem qui ex pari elicitur, his,* ἔτι ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρχειν, ἢ δοκεῖν ὑπάρχειν, *id est, præterea ex eo quòd æquè conuenit, aut uidetur conuenire. Sunt autem qui hæc ita separãt, ut similia esse dicant aliqua, cum iunguntur nõ tertio quod sit ambobus commune, sed utrunq; in singulis. Comparata autem cũ tertio iunguntur, quod est utriq; commune. Hoc si uerum est, primùm nunquam plura duobus inter se conferentur. Deinde cui dubium est quin ex maiore ducatur argumentum, si ita duo duobus comparentur, ut unum uni uideatur potius cõuenire, quàm alterum alteri? & si id quod magis uidetur conuenire non conueniat, ex eo id quod minus conuenire uidetur, concludatur non conuenire? Ut si dicam exempli causa, Si asotus potius est liberalis, quàm auarus temperatus: nec sit asotus liberalis, profectò ne auarus quidem erit temperans. Dicant mihi ij qui hãc eorum distinctionem tradunt, quidnam*

sit tertium quod sit cõparatis inter ipsa commune. Præterea nemo est ut opinor, qui similitudini παραβολὴν neget attributam, quemadmodum Cicero ei subiecit. Atqui in collatione, una res, ut ipse ait, uni comparatur. Si comparatur, iam horum ratione, quodam tertio cum altera copulatur. Ita quod ex similitudine, etiam ex cõparatione existet argumentum, quod ipsi nolunt. Ex quibus perspici potest, quàm sit difficilis horum locorũ dissimilitudinis explicatio. Nos quidem quod potuimus lucis attulimus: quæ si cui minus placent, alia ipse sua industria afferat: magnam ei gratiam habebo. nec enim quò minus refellar, recuso. Sed ad rẽ reuertamur. Hic locus in utrãq; partem ualet. Confirmãdo enim ob eam causam firmus est, quòd si in aliqua re simili ita res habeat, in cæteris etiam similibus ita habeat necesse est. Refellendo autem, quòd si in aliqua re simili non ita res habeat, in alijs non habebit. Similium enim similis ratio est. In primis autem firmus est in ijs quorum similis est ratio, cum etiam in ijs quorum dissimilis est, interdum tantam uim habeat, ut refelli uix à doctis possit. Nam cum sola dissimilitudine reprehẽdatur, certè rerum dissimilium tãta est interdum similitudo, eas ut internoscere etiam periti nequeant. Itaque rerum inter se & similitudines, & dissimilitudines diligenter obseruandæ & penitus cognoscendæ sunt. Quod quò facilius intelligatur, & quæ sit huius loci inuentio in quæstionibus, Stoicorũ illud tractabimus, An uitia decrescant: quod

dò similiter, modò æquè & ex æquo. Cum autem ea quæ adhuc dixi, hos duos locos inter se quodammodo distinguũt, tum quod sequitur, maximè. Mihi enim ita hæc facillimè & uerissime discerni posse uidentur, si dicamus similitudinis locum uelle ea quæ similia sunt, simili modo se habere, aut eodem modo inter se affecta esse, paria autem æquè conuenire. Id quod Aristoteles ipse declarat. Locũ enim similitudinis explicat his uerbis, πάλιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει, id est, Rursus in similibus argumentum ualet, si eodem modo habeant. Eum autem qui ex pari elicitur, his, ἔτι ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρχειν, ἢ δοκεῖν ὑπάρχειν, id est, præterea ex eo quòd æquè conuenit, aut uidetur conuenire. Sunt autem qui hæc ita separãt, ut similia esse dicant aliqua, cum iunguntur nõ tertio quod sit ambobus commune, sed utrunq; in singulis. Comparata autem cũ tertio iunguntur, quod est utriq; commune. Hoc si uerum est, primùm nunquam plura duobus inter se conferentur. Deinde cui dubium est quin ex maiore ducatur argumentum, si ita duo duobus comparentur, ut unum uni uideatur potius cõuenire, quàm alterum alteri? & si id quod magis uidetur conuenire non conueniat, ex eo id quod minus conuenire uidetur, concludatur non conuenire? Vt si dicam exempli causa, Si asotus potius est liberalis, quàm auarus temperatus: nec sit asotus liberalis, profectò ne auarus quidem erit temperans. Dicant mihi ij qui hãc eorum distinctionem tradunt, quidnam

sit tertium quod sit cõparatis inter ipsa commune. Praeterea nemo est ut opinor, qui similitudini παραβολὴν neget attributam, quemadmodum Cicero ei subiecit. Atqui in collatione, una res, ut ipse ait, uni comparatur. Si comparatur, iam horum ratione, quodam tertio cum altera copulatur. Ita quod ex similitudine, etiam ex cõparatione existet argumentum, quod ipsi nolunt. Ex quibus perspici potest, quàm sit difficilis horum locorũ dissimilitudinis explicatio. Nos quidem quod potuimus lucis attulimus: quae si cui minus placent, alia ipse sua industria afferat: magnam ei gratiam habebo. nec enim quò minus refellar, recuso. Sed ad rẽ reuertamur. Hic locus in utrãq; partem ualet. Confirmãdo enim ob eam causam firmus est, quòd si in aliqua re simili ita res habeat, in caeteris etiam similibus ita habeat necesse est. Refellendo autem, quòd si in aliqua re simili non ita res habeat, in alijs non habebit. Similium enim similis ratio est. In primis autem firmus est in ijs quorum similis est ratio, cum etiam in ijs quorum dissimilis est, interdum tantam uim habeat, ut refelli uix à doctis possit. Nam cum sola dissimilitudine reprehẽdatur, certè rerum dissimilium tãta est interdum similitudo, eas ut internoscere etiam periti nequeant. Itaque rerum inter se & similitudines, & dissimilitudines diligenter obseruandae & penitus cognoscendae sunt. Quod quò facilius intelligatur, & quae sit huius loci inuentio in quaestionibus, Stoicorũ illud tractabimus, An uitia decrescant: quod

omnes concedunt illi refellunt similitudine, hoc modò, Vt qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, etsi non longè absunt à summo, ut iam iámque possint emergere, quàm cum essent in profundo: nec catulus ille, qui iã appropinquat ut uideat, plus cernit, quàm is qui modò est natus: ita qui processit aliquantulum ad uirtutis aditum, nihilo minus in miseria est, quàm is qui nihil processit. Hoc quidem argumẽtum per inductionem tractatum est, quod etiã hoc modo tractari potest, Si ij qui demersi sunt in aqua &c. Hæc autem ita similia sunt, ut quæ sit dissimilitudo eorum uix explicari possit. Nam malum boni priuatio est, ut in catulo cæcitas aspectus. Sed quia hoc argumento Stoici rem eò deducere uolũt, ut doceant peccata nec crescere, nec decrescere, dissimilitudo in eo est, quòd catuli uno tantum aspectu carent, qui autem in peccato sunt, alij pluribus, alij paucioribus uirtutibus spoliati sæpe sunt. Ita non æquè absunt a uirtute, nec æquè sunt in miseria peccati. Quò enim quisq; pluribus peccatis præstat, eo miserior est, grauiusq; peccat. In 4. etiam de finibus bonorum & malorum Cicero eorum argumẽtum ponit, quo probant peccata esse paria. Vt, inquit, in fidibus plurimis, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum seruare possit, omnes æquè incontentæ sunt: sic peccata quia discrepant, æquè discrepant & paria sunt. Falsum assumit: neque enim, ut rectè ait Cicero, si æquè omnibus contingit, ut incontentæ sint, propterea æquè inconten-

tæ sunt, quemadmodum æquè omnibus peccatis accidit, ut mala sint, sed non ut æquè mala, quemadmodum æquè omnibus Mauris contingit, ut nigri sint, sed non ut æquè nigri. Alij enim alijs nigriores sunt. Alijs quoque in rebus similitudo quæ sit, aut dißimilitudo, uidendum est. Accommodatus est autem hic locus ad quatuor quæstionum genera quæ sæpè dixi, sed hoc in accidentis quæstionem incurrit frequentiùs, quò ex accidente crebriores existunt similitudines. Generis quidem hæc quæstio est, Num sit mundus animans? quæ refelletur similitudine hoc modo, Si aceruus lapidum, tritici, lignorum, & librorum nõ est lapis, mundus non est animans, Aceruus autem ille non est lapis, mundus igitur non est animãs. propositio autẽ confirmabitur hoc modo, Quã habet rationem mundus ad animal, eandem habet aceruus lapidũ, lignorũ & librorũ ad lapidem, quoniã ut mundi pars est animal, sic lapis illius aceruі. Hanc eandem quæstionem Zeno apud Ciceronem libro secundo de natura deorum confirmat. Isque, inquit, similitudine, vt sæpe solet, rationem conclusit hoc modo, Si ex oliua modulatè canentes tibiæ nascerẽtur, num dubitares quin inesset in oliua tibicinis quædam scientia? Quid si platani fidiculas ferrent numerosè sonantes? idem scilicet censeres in platanis inesse musicã. Cur igitur mundus non animans sapiensque iudicetur, cum ex se procreet animãtes atque sapientes? Hic dissimilia sunt, quæ similia proferuntur. Nam eo posito,

oliua quiddam esset totum, siue natura cohærens sicuti est, mundus autem non est natura cohærens, sed aceruus. Ita nón fit, vt si párs eius sit animans, ipse etiam sit. Nec verum est quod ait, mundum procreare ex se animantes atque sapientes. Neque enim si mundi pars procreet, idcirco mundus procreat. Definitionis quæstio erit eiusmodi, Sitne serenitas aëris quies vacuitásque ventorum? quæ similitudine concludetur hoc modo, Quod est in mari tranquillitas, id est serenitas in cælo. In mari autem tranquillitas est ventorum vacuitas & quies. Serenitas igitur cæli est aliud nihil nisi quies vacuitasque ventorũ. Proprij erit talis, Sitne hominis proprium intelligere et agere? quæ confirmabitur hoc modo, Vt ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis natus est, sic homo ad intelligendum, & ad agendum. Accidentis erit tale exemplũ, Sintne peccata paria? Sic autẽ refelli poterit, Quod est in peccatis grauitas & leuitas, id est in cantibus contentio & remissio. Cantus autem non omnes æquè cõtenti sunt, aut remissi. Non igitur æquè grauia sunt aut leuia peccata. In quæstionibus autem quæ in hunc incident locum, vel probandis vel refellendis multò secus quàm in superioribus faciendum est. primũ enim in illis aliquid reperiendum erat, quod vel in subiecto vel in attributo diceretur: hic autem non id quærendũ est, quod eis conueniat, sed eiusmodi propositio aut sumptio, cuius attributum similiter cõueniat subiecto,

vt in quæstione attributum subiecto conuenire dicitur. Quanquam alterius generis similium, quod initio huius loci exposui, eadē est ratio, quæ superiorum. Deinde cum in superioribus argumentum elici posse dixerim vel ex subiecto, uel ex attributo, omnino nullus ei locus relinquitur. Dißimilitudinis locus sequitur, Dißimilitudinis locus
qui etiam differentiæ dicitur. Hic autem duplex est. Nam & superiori, & ei qui ex pari efficitur est contrarius, quod adhuc neminem animaduertisse aut tradidisse miror. Contrarium autem eum ei esse qui à pari sumitur, hinc sciri potest, quòd in eo par ratio & eadem consideratur, in hoc dispar & alia. Præterea si similium loco dißimilitudo contraria est, etiam parilitati disparitas erit contraria. Ita fit vt si dißimilitudo in locis numeratur, disparitas quoque numeranda esse videatur. Aut igitur proprius ei locus dandus est, aut dißimilitudinis, cum ea communicandus. Hoc etiam vidit Aristoteles, qui dißimilitudinis inuentionem in primo extremo Topicorū libro ad ratiocinationes conficiendas de eodem & alio vtilem esse tradidit. Sitne autem idem aliquid, an aliud, non solum ex similitudinis & dißimilitudinis, sed etiam ex paris & disparis locis cōcluditur. In hoc autem loco contrà quàm in superiore tractanda sunt omnia. Contrariorū enim contrariæ sunt tractationes. In superiore id proferri dixi oportere quod simile esset rei quæ ageretur. In hoc dissimile aliquid, diuersum, et aliud proferendū est. Ita-

que & in vtranque partem quemadmodũ superior valet, & contrario capite tota eius vis continetur. Caput est, quem locum maximã vocant, ego cum veteribus, locum cõmunem voco, Cui vnũ dißimiliũ conueniat, ei reliqua non conuenire omnino, aut non eodẽ modo conuenire: et quod in dißimiliũ vno dicatur, id minimè eodem mõ dici, aut non dici omnino in cæteris. Aut dißimilia nõ eodem modo eidẽ conuenire aut nõ conuenire, neque idem dißimilibus. hoc exemplis illustrandum est, quò fiat planius. Ponamus hanc quæstionẽ, Rectène pupillo soluatur sine tutore auctore quod ei debeatur? eamque defendant aliqui: refelli poterit eo modo, quo eam Cicero refutat, Si mulieri id quod debeas, rectè soluas sine tutore auctore, non rectè eodem modo soluas pupillo sine tutore auctore quod ei debeas. Mulieri autẽ rectè sine tutore auctore id quod debetur soluitur. Non igitur eodem modo rectè pupillo sine tutore auctore soluas quod ei debeas. In hoc exemplo duo dißimilia ponũtur, mulier et pupillus, vnũ est quod vtrique conuenit, solui pecuniam, sed non eodem modo pupillo, quo modo conceditur, ex dißimilitudine docetur. Aliud est enim mulieri, aliud pupillo soluere. Ponamus aliam quæstionem, Debeántne hominum consilia in sempiternum tempus spectare? ea refelli poterit hoc modo, Si belluarũ est in diem viuere, nec quæ futura sunt, prouidere: certè hominũ consilia sempiternum tempus spectare debent. Belluarũ est

Caput Maxima

autem in diem viuere, nec quæ futura sunt, prouidere: hominum igitur consilia in sempiternum tempus spectare debent. In superiore quidem exemplo aliquid dicebatur dißimilibus rebus nõ eodẽ modo cõuenire. In hoc autẽ dißimilia dißimilibus cõuenire oportere dicitur. Dißimiles enim res sunt homines et belluæ, dißimilia etiã attributa, prouidere rebus futuris, & in diẽ viuere. Itaque vnũ vni conuenire docetur, ex eo quòd aliud alij conueniat. Dißimilibus enim rebus dißimilia conueniunt. Dißimilia autẽ, quemadmodũ similia ex proprietatibus, adiunctis, antecedentibus, cõsequentibus, causis, & euentis oriuntur. Vt autẽ & ipsi per nos huius loci argumenta inuenire, & aliorũ scripta legentes, notare poßimus, quibus modis tractẽtur, docebo. Cõperi equidem legẽdis bonis auctoribus, tribus potißimũ modis ea tractari. Primũ hoc modo, Aliud est iudicium, aliud arbitriũ. Multũ intereſt inter meam tuãque opinionẽ. Hoc differt homo à bestijs, quòd, &c. Atque his tot modis Cicero hũc locum tractare solet. Alium præterea modũ adhibet, similitudinis loco adiuncta negatione, vt in Topicis, Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore auctore soluas, ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè poßis eodem modo soluere. Hoc etiã genere sæpè vtitur, Alia est huius rei, alia illius ratio, quod genus idem quod superius efficit. Atque hæc quidem genera haud obscura sunt, locumque propositionis obti-

nent. Sunt enim subiecta loco cõmuni, quem dixi maximam nominari. Sumptiones autem quæ ab illis fidẽ petũt, sæpè sunt obscuriores, vt scriptores & oratores propositiones ipsas subijcere cogãtur. Cicero in oratione pro Roscio Comœdo exemplũ illustre ponit, Hic tu amplius HS. nummo petisti, quàm tibi debitũ est, causam perdidisti: propterea quòd aliud est iudiciũ, aliud est arbitrium. Iudicium est pecuniæ certæ, arbitriũ incertæ. Ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantũ quantum postulamus consequamur, &c. Hoc erit planius, si ad quæstionem trãsferatur. Fingamus quæri, Num is qui in iudicio plus petit, quàm debitũ est, causa cadat? Si quis neget, confirmari poterit, hoc modo, In arbitrio qui plus petit, litẽ non amittit: Qui igitur in iudicio plus petit, quàm sit debitum, causa cadit. Conclusio est ex dissimilitudine, quæ quia negari potest, confirmari poterit argumento sumpto à rebus quæ dissimilibus vt consequentes attribuuntur. Ad iudiciũ hoc modo venimus, vt totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo venimus, vt neque nihil, neque tantum quantum postulauimus consequamur. Hic autem locus non solũ ad aliquid simpliciter confirmandum, aut refellendũ valet, sed etiam ad refellenda argumenta vitiosa, quæ ducta erunt ex similitudine, vt si quis hoc argumento vtatur, Eiusdem est & menti-

Iudiciũ
Arbitriũ

ri & peierare: contra dici poterit hoc modo, Nō eiusdem est mentiri & peierare. Aliud est enim mentiri aliud peierare, Qui enim mentitur deorum testimonio non abutitur, qui peierat abutitur? Item si quis hoc argumentum adhibeat, Quemadmodum mulieri sine tutore auctore quod debeas, rectè soluas, ita quod pupillo debeas rectè eodem modo sine tutore auctore potes soluere: id refelli poterit adiuncta negatione, quemadmodum paulò antè Ciceronem fecisse dixi. Hæc etiam ad similitudinis locum transferri licet. Possumus enim vitiosa argumenta dissimilitudinis, similitudine refellere. Quod Cicero in eadem oratione docuit. Nā quod paulò antè argumentum exposui, id refellit similitudine. Dixit enim, inquit, iniuratus Luscio & Manilio, Si diceret iuratus, crederes? At quid interest inter periurum & mendacem? Qui mentiri solet, peierare consueuit, quem ego vt mentiatur, inducere possum, ut peieret exorare facile potero. Nam qui semel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci consueuit, &c. Cicero in Topicis non solum dissimilitudinem, sed etiam differentiam hunc locum nominat. Differentiam autē non ita restrictè accipit, vt Dialectici: sed differentiam appellat id omne quo aliud ab alio quocunque modo differt. Itaque eam quoque differentiam hic locus cōplectitur. Sed aliter atque vulgo solet, ex ea argumētum sumendū est. Hoc enim ducitur, Si quid est hō, id est

Mentiri
Peierare

rationis particeps, Et si quid est animal rationis particeps, homo est: quod firmum est illud quidem, sed ab hoc loco alienum videtur. Sumi autem hic ex ea argumentum eo modo debet, quem paulò antè diximus.

Contraria

Proximus est locus contrariorum. Contraria autem appello cũ Cicerone, quæ græci ἀντικείμενα vocant, quæ & Aristoteles & Cicero quatuor in partes distribuunt, in aduersa, quæ græci ἐναντία nominant, in priuantia, στερητικὰ illi, in ea quæ illi ἀποφατικὰ, nos negantia, & in ea quæ illi τὰ πρός τι nos ea quæ cum aliquo conferuntur, nominamus. Aduersa sunt quæ in eodem genere posita plurimùm inter se differunt, vt virtus & uitium, sapientia & stultitia. Eodem autem in genere poni ea dico, quæ eidem primo generi, aut categoriæ subijciuntur. Priuantia sunt ea quorum vnum aliquid quod reuera est, (habitum vocant) significat, alterum eius priuationem, vt aspectus & cæcitas. Ea autem cum aliquo conferũtur, quæ hoc ipso sunt, quòd ad alia referuntur, vt pater & filius, maius, & minus, duplum & simplũ. Negantia sunt ea quorum alteri negatio adiungitur, vt esse & non esse, videre & non videre. Negantia enim vtrũque verbum complectuntur, vt priuãtia. Atque hæc quidem genera quatuor, quid inter se differant, ex his definitionibus quodãmodo intelligi potest. Iis autem quæ deinceps dicemus distingui poterunt & faciliùs & subtiliús. Eorum quidem quæ cum aliquo confe-

runtur propria est mutua quædam reciprocatio, vt pater filij pater, duplum simpli duplū: aliquid maius minore, & contrà minus maiore dicitur. Cætera enim nō reciprocantur. Neque enim aut bonum mali bonū, aut aspectus cæcitatis aspectus, aut cursus non currendi cursus est. Aduersorū autē pugna est ꝓpria maxime. Pugna autē ut minimū inter duo quæ sint in rerū natura solet existere. Hæc autē aduersorū pugna ex eo intelligitur, q̃ de ea re quā quasi regionē occupare possunt, et solēt: ita disceptāt pertinaciter ut eā simul possidere nō poßint. Itaq; cū alterū regnat, alterū id unum agit, ut illud deturbet, in quo genere est uirtus et vitiū, ualetudo & morbus, candor et nigror, aliáque eiusdē generis. Nō enim locus uitio est uirtute dominante: nec morbo, ubi ualetudo regnat. Aduersorum autem duo sunt genera. Alia enim nihil mediū habent, alijs sunt interiecta media quædā. Nihil habent medium, vt ualetudo, & morbus, Aristotelis sententia. Nam medici quiddā mediū reperiunt. Itē par et impar mediū nihil habent. Mediū habent ea, quorū non necesse est alterutrū conuenire, dum modo alterum non insit à natura. vt candor & atror, calor et frigus. Neque enim necesse est corpus esse aut nigrum, aut candidum, quippe cum multæ res sint cæruleæ, purpureæ, alijsque coloribus infectæ. Tepor etiam inter calorem & frigus interiectus esse dicitur. Quædā autem eorum natura ita conueniunt, vt deleri, tolliq; nullo modo poßint. Igni

Aduersorū gña

Priuantia

enim sic natura calorē dedit, vt quandiu viget, eum ab illo nulla vis poßit auferre. Priuantia hoc à reliquis differūt, quod vnum priuationem alterius sic declarat, vt ipsum posse aliquando conuenire significet. Cæcitas enim non in quauis re quæ aspectu caret, nec semper rectè dicitur, sed in ea demum, quæ apta est ad aspectum recipiendum, eo tempore, quod natura præscripsit. Itaque catuli cæci ante nonum diem minime dicuntur. Horum autem quædam nomine simplici, alia nomine iuncto ex in præpositione explicantur. Superioris generis sunt cæcitas, surditas, aliaque eiusdē generis. Posterioris, inhumanitas, impietas, insatiabilitas, & quæ ex ijs ducuntur, vt inhumanus, impius, insatiabilis, & quæ sunt similia. Sed quoniam & aduersa quædā, & negantia ex in præpositione iunguntur, diligenter notanda & consyderanda eorum distinctio est. Esse enim eadem quæ duobus modis vel his tribus dicantur, argumento est, quòd Cicero in Topicis inhumanitatem numerat in priuantibus, cum nō sit dubium quin in ijs etiam contrarijs quæ aduersa dixi, & in ijs quæ negantia, numeretur. Cum igitur his tribus modis inhumanitas dicatur, quî distingui illi poßint, docendum est. Inhumanitas quidem si in negantibus ponatur, aliud est nihil, nisi humanitatis detractio, vt dicatur inhumanitas non humanitas, & inhumanus non humanus. Sin in priuantibus numeretur, preterquam quòd detractionem humanitatis sit,

gnificat, rem etiam in qua humanitas inesse potest, & tempus quod ad eam recipiendam constitutum est, indicat. Itaque lapides inhumani dicuntur illo modo, hoc non dicuntur. Si autem in aduersis ponatur, ad omnia superiora quandam addit qualitatem, siue habitum, siue uitium, uel certe actionem, quæ feritas nuncupatur. His autem tribus quasi gradibus notatis, facilis erit cæteris eiusdẽ generis propositis nominibus, distinctionis explicatio. Restant aientia & negantia. Horũ propriũ est dici in rebus omnibus, tam ijs quæ sunt quã ijs quæ nullæ sunt, ut ualere aut non ualere omnia dicũtur. Ex his enim existunt disiũctiones necessariæ de quibus libro superiore dictum est. Eorum duo genera ponuntur, unum eorum quæ simplicia sunt, alterum eorũ quæ copulata. Simplicia sunt in quibus uerbũ nullum ponitur, ut dignus, non dignus, uel indignus: humanus, nõ humanus, uel inhumanus. Coniuncta sunt quæ ex uerbo constant, ut, currit & non currit, ægrotat & non ægrotat. Ea quidẽ quæ coniũcta uocãtur, de rebus omnibus dici facile est ad probandũ. Nã cũ et ea quæ non sunt omnino, et quæ sunt illa quidem, sed nullo morbo laborant, nõ ægrotẽt omnia, et sola ea in quibus morbus inest, ægrotẽt: efficitur rem esse nullã omnino tum earũ quæ sunt, tum earum quæ nullæ sunt, quæ non aut ægrotet, aut nõ ægrotet. In simplicibus autem id obscurius est, sed tamen uerum, dũtaxat in ijs rebus quæ sunt in rerum natura, ut omnis cultus aut dignus homine est, aut nõ di-

gnus. Omnis res aut humana est, aut non humana. Nam ea omnis humana est in qua inest humanitas: inhumana autem uel non humana omnis, quæ priuata est humanitate. Ita lapis est non humanus. Nam si falsum sit lapidem esse non humanum, eum humanum esse uerum erit. Si enim falsa est hæc enunciatio lapis hic est nõ humanus, falsa etiam hæc erit, hic lapis non est humanus. Ita uera hæc erit, lapis hic est humanus, cum sit illius contradicens. Mihi autem non placet hæc dici negantia, Homo & non homo, equus & non equus. Hæc enim tãtũ probo in nominibus ijs quæ adiectiua dicũtur. His ita constitutis, quæ argumenta ex unoquoq; genere eliciantur, dicẽdum est. Hoc quidem commune est omniũ, quod Cicero quoq; admonuit, contrarijs omnibus contraria non conuenire, ut si pater est Socratis, eius nõ est filius. Si ægrotat, falsum est eum ualere. Si æger est, falsum est eum non ægrotare. Si cæcus est, non uidet. Hæc quidem firma sunt argumenta, sed tamen eiusmodi, ut si illud Ciceronis ea tantum complecteretur, non mirabilem copiam, sed miram potius inopiam ad argumẽtandum suppeditaret hic contrariorum locus. Latiùs ergo pateat necesse est, quod quale sit, consyderemus. Mihi quidẽ negatio tollẽda uidetur, ut sic legamus, Contrarijs omnibus contraria conuenire. Itaque in 5. Tuscul. hunc locum exponit alijs uerbis idem efficientibus, Cõtrariorum contraria sunt consequentia. Si cui non detrahẽda: sed retinẽda uideatur, at certe nõ dubito, quin ei-

dem id quod dixi probetur. Propositis enim contrarijs uniuscuiusq; generis, non est dubiū, quin si quid uni cōueniat, id alteri non conueniat: sed potius eius contrariū. ut propositis iustitia & iniustitia, quæ sunt in aduersis, si fugienda sit iniustitia, iustitiam sequi oportebit: & si bona iustitia, mala erit iniustitia. In priuātibus hoc modo, Si aspectus sensus est, cæcitas erit sensus priuatio. In ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut Si pater genuit, filius genitus est. In negantibus & aientibus hoc modo, Si aspectus est sensus, quod non est sensus, id non est aspectus. Itémq; hoc, Si quod honestum est, id iocundum est, quod non est iocundum, id honestum non est. Ex his omnibus exemplis perspici posse arbitror id quod dixi, contraria contrarijs conuenire hoc loco esse dicendum, non contraria contrarijs non conuenire. Hoc autem caput his uerbis solet ab alijs exprimi, Si contrariū in contrario intelligitur, & contrarium aliud in alio contrario intelligetur. Quod quoniam obscurum est, planius instituí dicere. Cum dicitur, Si cōtrarium in contrario intelligitur, non hoc dicitur, Si contrarium contrario suo conuenit (si enim contraria nunquā eidem simul conueniūt, certe multo minus contrarium contrario suo conueniet) sed hoc significatur, Si quod contrarium contrario alterius cōtrarij conueniat, contrarium etiam alterum cōtrario alterius contrarij conuenire oportere. Vt exempli causa, quoniam iustitia & iniustitia cōtraria sunt, si iustitiæ conueniat aliquod cōtrarium, ut uirtus, ut bonum,

ut expetendum, profectò iniustitiæ conueniet illius contrarij contrarium, ut uitium, malum, fugiendum. Si enim iustitia bona est, & expetenda, mala & fugienda iniustitia est. Nec uerò firmum est solum in confirmatione argumentum, quod ex omnibus contrarijs ducitur, sed etiam in reprehensione. Itaque hoc etiam caput ponamus licet, Propositis quatuor contrarijs quorum paria sint inter se contraria, si secundum primo non conuenit, nec quartum tertio .i. primi contrario non conueniet. ut si iustitia nō est mala, nec iniustitia bona erit. uel si iustitia non est expetenda, nec iniustitia erit fugienda. Valet igitur in utranq; partem hic locus. Quoniam autem non solum contrarijs, sed etiam non contrarijs contraria conueniunt & non conueniunt, & contrarijs non contraria: alia etiam duo capita quasi perspicua tradi possunt, à quibus argumenta quæ ex hoc loco sumentur, fidem petent. Vnum hoc erit, Si cui unum contrariorum conueniat, ei alterum non conuenire. Alterum, Si quid uni contrariorum conueniat, id alteri non conuenire. Sed in multis eādem aut diuersam conueniendi rationem spectari necesse est, ut in negantibus nō est hoc firmum argumentum, Si Socrates pater est, non est filius, nisi intelligamus qua ex parte pater est, ex ea non esse eum filium. In cæteris cōtrarijs ualet, ut, Si Socrates sapiens est, non est stultus. Si fecit cædem, eum non fecisse defendere non debes. Si stat sol, non mouetur. Alterius capitis exempla sunt eiusmodi, Si uirtus perficit eum in quo

est, uitium eum in quo est non perficit. Si aspectus est sensus, cæcitas non est. In cæteris non est semper firmum argumentum. In negãtibus enim, Si id quod honestum est, delectationem affert, non continuò sequitur, id quod non honestum est, non afferre delectationem: sed cõtrà. Ac in generis quidem & accidentis quæstionibus & enunciationibus, infirma sunt argumenta ducta ex negantibus: in cæteris autem ualent. ut Si honestum est quod decet, falsum est, id quod non est honestum, decere. In ijs etiam quæ cum aliquo conferuntur, non ualet, nisi in ijs quorũ rationes misceri non possunt, cuiusmodi sunt dominus & seruus. ut si dominus imperat, seruus non imperat. Neque enim in alijs ualet, ut non sequitur si pater genuit, filium nõ gignere, quoniam nõ repugnat eundem filium esse & patrem: repugnat autem eũdem dominum & seruum esse eodem tempore. Sed non erit alienum, quæ ac quot argumentorum genera in singulis cõtrariorum generibus ualeant, exponere. Duo quidem sunt argumentorum genera quæ ex contrarijs, negantibus & priuãtibus duci possunt. unum est quod eodem quo propositum est uerborum ordine: alterum quod cõuerso ordine concluditur. Superius genus Aristoteles uocat τὸ ἐπ᾽ αὐτὰ. posterius τὸ ἀνάπαλιν. Vtriusq; generis exempla ponam, quò res sit illustrior. Prioris generis tale est, Si iustitia est expetenda, iniustitia fugienda est. In hoc exemplo idem consequentis ordo est, qui antecedentis, quoniã duo inter se contraria in utraq;

enunciatione subijciũtur, & alia duo dicũtur. Posterioris generis exẽplum est eiusmodi, Si firma corporis constitutio est bona ualetudo, morbus est infirma constitutio corporis. Vides in hoc exemplo mutatum contrariorum ordinem, cum eius quod in antecedẽte subijciebatur, contrarium, sit attributum in consequente. Vtrunq; autẽ genus rursus in partes duas distribuitur. Vtrunq; enim uel nominibus finitis, uel infinitis tractari potest. Finita autem nomina & uerba sunt, quibus non negatio, uel in præpositio idem efficiens non adiungitur. Infinita quibus adiũgitur. Prioris generis multa iam exẽpla subieci. Posterioris autẽ partes duæ sunt. Nam aut in antecedẽte nomina infinita, id est negãtia collocari possunt, aut in consequente. In antecedente, sic, Si id quod non est iocundum nõ decet, id quod decet, est iocundum. In consequente conuerso enunciationum ordine, Si id quod decet, iocundum est, id quod non est iocundum, nõ decet. Nunc an hæc duo argumentorum genera firma sint in omnibus contrarijs, dicendum est. In ijs quidem quæ aduersa dixi, ualet utrunq;, sed non in omnibus. Id enim genus quod eodẽ ordine tractatur, hic tum deniq; ualet, cum generis, proprij, & definitionis existũt quæstiones. ut si quæratur, sit ne uitiũ ignauia, id doceri poterit hoc modo, ex cõtrario, Fortitudo est uirtus, ignauia ergo uitium est. In accidentis autem quæstionibus non est firmum argumentum, nisi in ijs quæ inseparabilia dicuntur, id est quæ semper rei conueniunt. ut si quæratur,

Nõia, et uerba finita, et infinita

Sit'ne fugienda iniustitia; id probare licebit ex contrario hoc modo, Si iustitia expetenda est, fugienda est iniustitia. In accidentis enim quod separari potest quaestionibus infirmum est argumentum. Neque enim si id quod album est comedit, idcirco id quod nigrum est, abstinet. Magna autem hic adhibenda est cautio. Neq; enim aliter semper ex contrario huius generis contrarium concludetur eodem uerborum seruato ordine. Vt non sequitur, si auaritia sit uitium, prodigalitatem esse uirtutem, cum interim uitium & uirtus, auaritia & prodigalitas sint inter se contraria. Cum igitur dicimus ex contrario quod aduersum Cicero appellat, argumentum esse firmissimum, ea duo contraria excipimus quae tertio continentur, cuiusmodi sunt auaritia & prodigalitas, quae uitij nomen complectitur. Argumenti autem eius quod ex enunciationibus constat in quibus uerborum ordo est conuersus, admodum rarus hic usus est, propterea quòd & fere eodem ordine tractatum ualet, & in accidentibus quae separari possunt, nunquam ualet. Quòd si quādo firmum sit, tum erit deniq; cum erunt quatuor aduersa eiusmodi, quorū secundum primi erit consequens, quartum autem tertij non erit. Exempli causa, non sequitur, Si mali sint miseri, bonos continuo esse beatos, sed contrà beatos bonos esse. Hæc autem Peripateticorum est sententia, quam Cicero in 5. Tuscul. Stoicorum hac conclusione reprehendit, Quid cum fatentur satis magnam uim esse in uitijs ad miserā

Auaritia Prodigalitas

uitam, non nefatendū est eandem uim in uirtute esse ad beatam uitam? Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Atque hæc quidem de aduersis dicta sint. In negantibus autem contrà solum argumenta ualent, quæ conuerso uocabulorum ordine tractantur. Neque enim si iustitia est uirtus, continuo id quod non est iustitia uirtus nō est. Nam & temperantia uirtus est, & prudentia, & fortitudo. Quæ autem eodem contrariorū ordine hic explicātur, leuia sunt omnia, nisi, ut paulò antè dixi, in proprij & definitionum quæstionibus. idq; fit propterea quòd propria & ea quorū sunt propria, definitiones & res quas definiendo aperimus, concludendo reciprocantur. Quoniam enim omne quod natum est ad disciplinam homo est, & omne quod homo est, natum est ad disciplinam, efficitur, ut quod non est natum ad disciplinam, id non sit homo. Hoc autem loco id notandum est quod paulò suprà dixi, semper siue negantia antecedant, siue aientia, sequi conuerso ordine conclusionem. Nihil enim interest utrum concludamus hoc modo, Si id quod non est bonum, non est uoluptas, uoluptas est in bonis: an illo, Si uoluptas est bonum, quod non est bonum, id non est uoluptas. In priuantibus id solum argumentum ualet, quod eodem uerborum ordine tractatur. ut si uiui sentiunt, mortuos sensus priuatio consequitur. Si uita sit sensus, mors est sensus priuatio. Longa est apud Platonem in Axiocho de morte disputatio, quam Cicero in prima Tusculana expres-

sit. In ea fere argumenta ducuntur ex priuātibus. Magna autē hic quoque cautio adhibenda est ne fallamur. Si enim priuantia duo ponantur, quæ tertium contineat, aut sequatur, nulla erit conclusio. Neque enim si is qui despicit uiuit, propterea is qui cæcus est, est mortuus. quoniam omnes qui uidēt, & qui cæci sunt, in uita manent. Hoc etiam argumēti genus solùm in ijs ualet, quæ cum aliquo conferuntur. Eius exemplum tale est, Si patris est præesse, est parēre filij. Si duplum maius est, minus est simplum. Hoc genus argumentorum sæpe in disputationē incidit, ut si deditus est, receptus est. Cicero in Topicis, Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio rediisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem neque donationem sine acceptione intelligi posse. Item si quis accepit iniuriam, aliquis fecerit necesse est. Et contrà, si quis fecit iniuriam, aliquis etiam accepit. Huius enim generis argumenta omnia reciprocantur. Sed plurimus est eorum usus quæ ex ijs contrarijs ducuntur, quæ appellātur aduersa. Cicero in libro de Amicitia, Quòd si curam fugimus, uirtus fugiēda est, quæ necesse est ut cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiam fortitudo. Itaque uideas rebus iniustis iustos maximè dolere imbecillibus fortes. flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi benè constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs. Atque hæc conclusio ex eo

firma est, quòd uni rei contraria non conueniunt. Hoc autem genus argumẽtorum sæpe cum eo cohæret quod existit ex coniugatis: id quod Aristoteles in secũdo libro Topicorum tradidit. Cicero in 2. lib. de Oratore, Si Gracchus nefariè, præclarè Opimius. In oratione pro Rabirio, Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt. Nec uerò id in aduersis solum uerũ est, sed etiam in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut, Si docere pulchrum est, non est uitiosum discere. Cicero in Oratore ad Brutũ, Nam si uitiosum est dicere ornate, pellatur omnino è ciuitate eloquentia. Sin ea non modò eos ornat penes quos est, sed etiã uniuersam remp. cur aut discere turpe est, quod scire honestum est, aut quod nosse pulcherrimum, id nõ gloriosum docere? Paulò infrà, Num igitur aut latere eloquentia potest, aut id quod dißimulat, effugit, aut est periculum ne quis putet in magna arte & gloriosa, turpe esse docere alios, id quod ipsi fuerit honestißimũ discere? Quinetiam in his permixta sunt aduersa cum ijs quæ cũ aliquo conferũtur, ut intelligamus ex contrarijs non modo simplicia argumenta elici posse, quibus singula, sed etiam coniuncta, quibus duo uel etiam plura eorum genera persequamur. Atque ut hunc aliquando contrariorũ concludamus locum, scire nos oportet, quatuor illa quæstionum genera in eum incurrere. In quo id notandum est, quod sæpe admonui, nos cum argumenta ex eo depromere uolemus, id facere posse multis

modis. Sed tamen hoc loco id nobis licet pluribus. Nam & ex attributi, & ex subiecti cõtrario, & ex utriusque contrarijs simul argumenta possumus elicere. Ex attributi contrario tum cum locus erit huic loco cõmuni, Eidem contraria non cõuenire, ut si quæratur, An terra moueatur: id refelli poterit ex priuantibus hoc modo, Terra stat, non mouetur igitur. Quod in aduersis infirmum erit, nisi sint eiusmodi, quæ medium nihil recipiant. Ex rei autem subiectæ contrario ducetur, cũ usus erit illius capitis, Contrarijs idem non conuenire. ut si quæratur, Sit ne expetẽda iniustitia? Refelli poterit hoc modo, Iustitia expetenda est, non igitur iniustitia. Ex utriusque contrarijs sumetur, cum locus erit huic capiti, Contrarijs contraria conuenire: quod tum denique incidet, cum tam subiecta quàm attributa res contrarium habebit. ut si hæc quæstio ponatur, Sit ne iniustitia fugienda? sic confirmabitur, Si iustitia expetẽda est, fugienda est iniustitia. Quatuor autem generum quæstionum exempla si quis requirat, erunt eiusmodi. Generis quidem, Sit ne fortitudo uirtus? quod probabitur hoc modo, Ignauia uitium est, uirtus igitur fortitudo. Proprij tale, Sit ne iustitiæ sanctam seruare societatem? certè. iniustitiæ enim est eam labefactare. Definitionis eiusmodi, An uirtus sit habitus rationi consentaneus? prorsus. Est enim uitiũ habitus à ratione abhorrens & auersus. Accidentis sunt hic plena omnia. Nam quoniam contraria omnia accidentibus continentur, ferè hic

quæ tractantur, accidentis ſunt quæſtiones, ut, Sit ne iuſtitia colenda? Sintne amici diligendi? Sit ne uirtus expetenda? & aliæ innumerabiles eiuſdem generis.

Adiuncta

Sequuntur adiuncta, quorum locum Cicero oratorium magna ex parte eſſe dicit, non modo non iuriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem. Hæc autem cum dicit, non negat omnino eum eſſe philoſophorum, ſed tantum crebrum eius uſum: quod mirum uideri nõ debet. Nam cum adiuncta ſint ea quæ non ſemper eueniunt, & dialecticorum firma ſint ferè argumenta, adiunctorum locus rarò commodus ſit dialecticis neceſſe eſt: ac tum demum cum res in qua interdum ualeat, certa ac definita erit. Ac Cicero quidem adiuncta à conſequentibus ſeparat, Ariſtoteles autem non ſeparat. ἀκόλουθα enim utraq; nominat. quod hinc ſciri poteſt, quia in eo libro qui reprehenſiones Sophiſtarum inſcriptus eſt, quod Ciceronem tradere modo dixi, adiunctorum locum magna ex parte eſſe oratorium, id ille ad conſequentium transfert locum. Cum enim de captione quæ ex conſequentibus naſcitur, diſſerit, argumenta quæ per ſigna tractantur in arte Rhetorica, dicit eſſe ex conſequentibus. Quin ne Cicero quidem ipſe adiuncta hæc ſemper uocat, ſed interdum etiam conſequentia, ut in. 2. de Oratore, in quo cõſentanea uocat, quæ in Topicis cõſequentia. Hunc autem locũ in tres partes idem auctor diſtribuit. Dicit enim quærendum eſſe quid ante rem, quis cum re, quid poſt rem euenerit. Exemplorum eius

triplicis generis plenæ ſunt Ciceronis orationes eæ, quæ in coniectura cernuntur, quæ quoniam ad institutum noſtrum nihil pertinent, ſciens præteribo, ut ad ea ueniam, quæ ſunt artis inſtitutæ. Proximus eſt locus antecedentium, conſequentium & repugnantium. Antecedētia quæ eadem in 2. de Oratore præcurrentia Cicero appellat, ſunt ea quæ rem neceſſario antecedunt, ut iuſtitia ſemper uirtuti antecedit, & iniuſtitia uitio. Cōſequentia ſunt quæ rem neceſſario conſequuntur, ut totius uirtutis interitum, ſequitur iuſtitiæ interitus. Hæc autem conſentanea in 2. de Oratore Cicero nominat. Repugnantia autem ſunt ea quæ nunquam cum re cohærere poſſunt, μαχόμενα græcè dicuntur. Horum trium repugnantia difficillimè intelligi, diſtinguique poſſunt. Nam primum ſuperiora duo, antecedentia dico & conſequentia, cum in formis & generibus tum in contrarijs ſpectātur. Repugnātia autem fuſa ſunt fere per omnes argumentorum locos. Deinde illa ex eo faciliora ſunt, quòd ſi quid cum quaq; re neceſſario cohæret, minime errabit, qui id uel antecedens ſi præcurrat, uel conſequens, ſi ſequatur, appellauerit. At ſi quis ea quæ nunquam cum re cohærent, repugnantia dixerit, uehementer errabit. Stare enim & moueri, uigilare & dormire, ualere & ægrotare, & ſi quid eiuſmodi nunquam cum re cohærere poſſunt, cum interea in repugnantium numero minime habeantur. Vult enim Boëthius repugnantia eſſe contrariorum conſequentia,

Antecedentia

Repugnantia

ut uigilare & dormire contraria sunt: somnum sequitur stertere, & uigilare, scribere, currere, aliæq; actiones innumerabiles. Ita stertere & scribere erunt repugnãtia. Quanquam Aristoteles & eius interpres Alexander longe aliud sentiunt. Volunt enim ea esse repugnãtia, quæ nunquam cum re possunt cohærere. Verba Aristotelis subijcienda censui, quò res esset testatior. In 2. Topicorum libro scribit his uerbis, In ijs autem rebus, quarum alterutra inest necessario, ueluti in homine uel morbus inest, uel ualetudo: si de altero, magna nobis ad disputandum copia suppetet in utranque partem, de altero quoque suppetet. Quod ad utranq; partem trahi potest. Si enim alterum conuenire doceamus, alterum non conuenire docebimus: & si unum non cõuenire docebimus, alterum demonstrabimus conuenire. Quo hic locus nomine appellandus sit, Alexander docet his uerbis, ἐκθέμενος τινὰς τόπους ἐξ ἀκολουθίας κατασκευαστικοὺς, μετὰ ταῦτα παραδίδωσι τὸν ἐκ μάχης κατασκευαστικόν τε καὶ ἀνασκευαστικόν, *id est, Expositis nonnullis locis ex consecutione, qui ad confirmandum ualent: deinceps locum ex repugnantia tradit, qui & in confirmatione firmus est, & in reprehensione. Nos igitur hoc in loco exponendo, Aristotelem & Alexandrum sequemur. Rei autem aperiendæ causa hanc primam diuisionem ponemus, ut dicamus alia esse consentanea, alia dissidentia & repugnantia. Consentanea ea, quæ cum re necessario cõ-*

Consentanea

hærēt,quorum duo ſunt generā, aliud eorum quæ rem neceſſario antecedant,aliud eorum quæ rem conſequātur. Repugnantia ea,quæ cum re nunquam poſſunt cohærere,nec antecedendo,nec conſequendo.Conſentanea græcè σύμφωνα, & σύλογα dicuntur,antecedētia τὰ ἡγούμενα,conſequentia ἀκόλουθα & ἑπόμενα.Quanquam ἀκόλουθα & μαχόμενα Ariſtotelis ſententia inter ſe contraria uidentur. Neque enim locum anteceſſionis ullum ponit, & cum illum conſequentium expoſuit,deinceps repugnātia perſequitur. His ita poſitis,nunc de huius loci inuentione dicamus.Valet quidem hic locus & in confirmatione & in refutatione. In confirmatione propterea quòd cui antecedens aut conſequens conueniat, aut non conueniat, repugnans, ei conſequens, & id quod conſequentis eſt conſequens, aut repugnans conuenire oportet .Quæ hoc modo diſtinguere poſſumus, Si quod antecedens rei cuipiam conueniat,ei etiam id quod eius eſt conſequens conuenire:Si quod cōſequēs in rem aliquam cadat,in eam etiam cadere id quod eſt antecedens.Si duobus propoſitis repugnantibus, alterum rei conueniat,repugnat conuenire alterum. In refutatione autē hoc modo exprimi debent, Cui non conuenit antecedens,nec conſequens conuenire.Cui conſequens non conueniat,eidem non conuenire antecedens. Cui non conueniat unum repugnātium, eidem alterum repugnare conuenire. Nec uerò hæc ſolum capita ad hunc locum adhibētur,ſed hæc etiam, Si

Repugnantia

antecedenti quid conuenit aut non conuenit, id eius consequenti cōueniat, aut non conueniat necesse est. Si consequenti alicuius rei quid conueniat, aut non conueniat, id antecedenti conuenire aut non conuenire oportere. Si quid in unum repugnantium cadat, id in reliquum non conuenire, aut contrà, si quid non cadat in unum, id cōuenire in alterum. Horum omnium exempla ponamus, ne præceptorum multitudine res uideatur obscurior. Si quæratur, An iustitia sit expetēda? docebitur hoc modo, Ab antecedentibus, Si præmijs afficere bonos expetendum est, iustitia expetenda est: præmijs autem afficere bonos expetendum est: iustitia igitur est expetenda. Ex consequentibus hoc modo, Si uirtus expetenda est, & iustitia est: Virtus autem est expetenda: Iustitia igitur est: In paucis autem ex consequentibus ductum argumentum confirmando ualet. Ex repugnātibus sic, Non & afficere præmijs bonos expetendum est, & non est iustitia expetenda: Afficere autem præmijs bonos optandum est: Iustitia igitur expetenda est. Hæc argumenta fidē habent à posterioribus capitibus: quòd si quid antecedenti et consequenti conueniat, idem consequenti & antecedenti cōueniat necesse est. Hæc enim duo, præmijs afficere bonos, et iustitia, eiusmodi sunt, ut prius sit posterioris antecedēs, et posterius prioris consequens. Afficere enim bonos præmijs pars est quædam iustitiæ. Aliorum etiam duorum uirtus consequens est iustitiæ, iustitia uirtutis antecedens. Et

hæc duo pugnantia sunt, præmijs afficere bonos expetendum est, Iustitia nõ est expetẽda. Atque hæc quidẽ à posterioribus ut dixi, capitibus fidẽ petũt. Quæ autẽ sequũtur, à prioribus. Sit hæc quæstio posita, Sit ne intẽperantia habitus? cõfirmari ea poterit, primũ ab antecedentibus hoc modo, Si intemperantia vitium est, intemperantia etiam habitus est: primũ autem est: secundum igitur. Deinde à repugnãtibus (nam à consequentibus non potest) hoc modo, Non & intẽperantia vitium est, & non est intemperantia habitus: primũ autem est, secundum igitur. Eodem modo in refutatione doceri potest. Vt autem hæc argumenta facile inueniamus, proposita quauis quæstione, si ab antecedentibus velimus ducere, videndũ erit, quid vel rẽ subiectam vel attributã antecedat: si à consequẽtibus, quid sequatur: si à repugnãtibus, quid eis repugnet. Quo inuento, facile erit quod volumus concludere. Antecedunt quidem species genera in confirmando. De antecessione enim & consecutione in concludendo, non de rerum antecessione & consecutione hoc loco disputamus. Quod hinc sciri potest, quia cũ genera naturæ ordine formis antiquiora sint, tamen hoc loco ea sunt formarum consequentia. Genus etiam ac differentiã antecedit definitio, propterea quòd ex genere & differẽtia constat tanquam ex partibus. Iam species proprio cuius est species antecedit non solum consecutione, sed etiam naturæ ordine. Quanquam utrunque alterius est

consequens. Differentiæ autem veterum sententia solũ est antecedens: Proprium verò generis est antecedens & differẽtiæ. Nam definitionis tum est antecedens, tũ consequens. Ac de his quæ antecedunt quãque rem in concludendo, dictũ est. De consequentibus autem, hoc intelligendũ est, ea omnia quorũ alia antecedẽtia sunt, eorum ipsa esse consequentia. Itaque genus tum speciei, tum definitionis, tum proprij consequens est. Quoniam autem duplex est differentia, vna quæ genera in suas partes tribuit, altera quæ speciem ipsam conficit, eas quidem differentias genus sequitur, quæ ipsum diuidunt, eas autem quæ species efficiunt, antecedit. Nam si animal est, animata natura est, corporea est, natura est sentiens. Contrà nõ si animata natura est, idcirco animal est: nec si corporea natura est, continuò animal est. Si autem natura est sentiens, etiam animal est. Itaq; vtrunque horum alterius est consequens. Itemque si animal est rationis particeps, aut eius expers, etiam animal sit necesse est. Omnes enim formarum effectrices differentiæ, formarum vim obtinẽt. Species autem definitio & proprium eiusmodi sunt, vt aliorum alia & antecedentia sint, & consequentia. Sola autem accidentia per se nec antecedũt superiora, nec sequuntur, nisi ea quæ in certa forma, aut genere reperiuntur, nec tamen omnia eius generis, sed ea demum, quorum alterutrum necesse est conuenire. Neque enim si quid album est, homo est: neque contrà, si quid homo, id albũ

est. quanquam in certis rebus id consequi nihil prohibet, sed in ijs demum quæ separari non possunt, vt si Aethiops est, niger est: & si nix est, alba est: & si ignis est, calidus est. Quorum autem alterutrum conuenit necessario, eorum alterum est antecedens eius rei in qua solet inesse. Si quid enim ægrotat, aut valet: vigilat, aut dormit, id animal est. Repugnantiū autem duo sunt genera prima, vnum eorum, quorum vtrunque ait, vt dormire & vigilare, stare & moueri, ægrum esse & valere, & si qua sunt generis eiusdem. Atque hæc fere sunt aduersa vel priuantia, uel eorū quæ cum aliquo conferuntur, vel eorum consequentia. Alterum autem genus est eorum, quorum vnum ait, alterum negat, quod genus patet latißimè. Complectitur enim verba omnia, adiuncta negatione. Quod duobus modis fieri potest. Nam & eidē verbo quod ait, adiūgi potest, & non eidem, vt ambulare eundem, & nō ambulare repugnat. Non eidem, vt virtutem expetendam esse, vitium non esse fugiendum repugnat. Itémque rectè accipere, & non rectè retinere: bona fide emere, & non bona fide poßidere. Quanquam hæc duo posteriora ad prius genus pertinent. Genus autē eorum quorum vnum ait, alterum negat, facile inueniri potest. Propositis enim duobus, quorum vnum alterius sit consequens, si consequēti negatio addatur, erūt repugnantia, velut currere & moueri ita sunt affecta inter se, vt currere sit antecedens, consequens moueri.

Itaque adiuncta consequenti negatione repugnabunt. Repugnat enim eundem currere, et non moueri. Si autem consequentia efficiant in enunciationibus ea quæ subiecta vocantur, præposita antecedenti negatione, idem continget, si modo consequens in totum dicatur vt, Non & omnis virtus habitus est, & iustitia non est. Repugnantia autem ea quorum vtrũque ait, vbi quærenda sint paulò antè dixi. Sunt enim vel in aduersis vt vigilare & dormire, valere & ægrotare: vel in ijs quæ cũ aliquo cõferuntur, ut rectè accipere, et inuitum reddere. In priuãtibus, ut stare & moueri, cæcũ esse, & despicere: vel in eorum consequentibus, vel adiunctis potius, vt dormientium, stertere consequens est: uigilantiũ, scribere, legere, et cætera actiones quæ in dormientibus reperiri nullo modo possunt. Ex quibus duplex oritur repugnantia. Nam & consequentia illorum inter se pugnant, & consequens vtriusque cũ altero contrario. Non enim solũ stertere et legere repugnant, sed legere etiam & dormire, & stertere atque vigilare. Hæc autem quoniam suapte natura secum pugnant, non requirunt negationem vt priora, ad efficiendam repugnantiã, quinetiam si adiungatur alterutri, omnem litem pugnámque dirimet. Itaque non modo hæc, Non & dies est, & nox non est, non repugnant, sed inter se etiam consentiunt. Quapropter sine negatione ex ijs ducendũ argumentum est hoc modo, Non & dies est, & nox est: primum autem, non igi-

tur secundum. Alio etiam quodam genere tractari potest cum negatione, Si dies est, non est nox: est autem dies: nox igitur non est. Ac repugnantium quidem argumenta ab ijs quæ à consequentibus & antecedentibus sumuntur facile internosci possunt: ea autem quæ ab antecedentibus ducuntur, difficiliter à consequentiũ conclusionibus separantur. Itaque quoniam quemadmodum ipsa inueniri possent, & vbi, demonstratum est: nunc sequi videtur, vt de argumentorum dissimilitudine disseram. Antecedentium quidem & consequentium argumenta à dialecticis per cõnexa tractari solent: tumque hoc differunt, quòd in antecedentium argumentis quod primum est in connexo, id primum sumitur & consequitur id quod annexũ est. in consequẽtibus autẽ contrà quod secundũ est in annexo sumitur, & id quod primũ est consequitur. Vt hæc argumentatio, Si afficere pœna improbos utile est, iustitia est utilis: Afficere autem improbos vtile est: Iustitia igitur vtilis est: hæc inquam argumentatio, ab antecedẽtibus ducitur, quoniam hoc totum, Affici pœna improbos vtile est, vt primũ est in connexo, sic sumitur. Est enim antecedens iustitiæ, quoniam eius quædã pars est. Quæ autem sequitur, est à consequentibus, Si iustitia est malum, virtus malum est: nulla est autem uirtus malum: iustitia igitur malum non est. Quod ut ita esse concedã, tamen non video cur non hæc sit ab antecedẽtibus argumentatio, Si omnis voluptas est bonum, venerea bo

Antecedentiũ et cõsequẽtiũ arg^ta

num est: venerea autem bonũ non est. non omnis igitur voluptas est bonum. Et hæc à consequentibus, Si virtute nemo abuti potest, iustitia nemo abutitur: virtute autem abuti nemo potest: iustitia igitur nemo abutitur. Et tamen in superiore id quod posterius est, & in posteriore superius sumitur. Non igitur hæc ita discernuntur, sed si id sumitur quod antecedens est, vt concludatur consequens, ab antecedentibus ducetur: sin consequens sumatur vt antecedens concludatur, erit à consequentibus. Hoc autem intelligendũ est, cum genera dixi consequentia esse formarum, id verum esse, quãdo non vniuersè in totumq; dicũtur. Nam si omnino dicantur, antecedentia sunt. Si enim omnis virtus expetenda est, & iustitia est. Et si nulla virtus fugienda est, nec fortitudo. Atque hoc vnum genus est tractandorum argumentorum à consequentibus. Aliud autem genus sine connexis tractatur, vt est illud Stoicorũ, quod Cicero in quinto lib. quæstionũ Tusculanarum explicat his verbis, Etenim quicquid est quod bonum sit, id expetendum: quod autem expetendum, id approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum. Ergo etiam dignitas ei tribuenda est. quod si ita est, laudabile sit necesse est: bonum igitur omne est laudabile. Ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solum bonum, Atque hæc quidem à consequentibus est, vt dixi, argumentatio: vitiosa autẽ est propterea quòd coacerualis sit quædã ratiocinatio, quæ

gradatim non sumpto eo quod necesse est, eò quò vult peruenit. Nam cum id quæratur, Sitne quod sit honestum, solum bonum? sumendum fuit, omne quod laudabile est, id esse honestum. Vt sic breuiter concluderetur, Quicquid est quod bonum sit, id est laudabile: quod autem laudabile est, id omne honestū est: quicquid igitur honestum est, id est solum bonum. Qua in conclusione sumptio illa falsa, Quod laudabile est, id omne est honestum. Neque enim id quod honestum est eius est consequens quod valet ad laudem, sed contrà honesti laudabile est consequens, Omne enim quod honestum sit, est laudabile. His igitur duobus modis consequentium argumenta tractari possunt: nec consequentium modo, sed aliorum etiam locorum: quemadmodū proximo libro docebimus. Ne autem consequentia falsa pro ueris approbemus, cautio magna adhibēda est. Duo enim sunt genera consequentium: unum eorū quæ semper eueniunt, quæ hoc loco tractamus, quemadmodum ex eorum definitione perspici potest: Alterū eorum quæ non semper: quod genus ne nos fallat, prouidere debemus. Hoc modo ali antecedens est, & augeri consequens. Neque enim qui alitur semper crescit. Itaque vitiosa est hæc argumentatio, Si alitur animal, crescit: alitur autem, crescit igitur. In senectute enim homo alitur, nec crescit, sed decrescit potius. Eodem in genere versantur disciplina & scientia, itemq; memoria & sciētia. Neq; enim qui discit, simul etiā ac sem-

Cōsequētiū gña duo

per ſcit: nec qui ſcit, cõtinuò aut neceſſariò recordatur. Vt igitur et iã hæc vitemus, notãda ſunt nobis duo genera conſequentium, quæ paulò antè expoſui, quæque ita explicari etiam poſſunt, vt alia dicamus ſimul conſequi, alia poſterius. Veluti ſimul atq; ortus eſt homo, animal eſt, & rationis particeps: ſcientia autẽ poſterius ſequitur diſciplinã. Neque enim ſimulatque erudi tus eſt aliquis bonis artibus, ijs etiam eſt præditus. Quanquam ſi ea teneamus quæ de huius loci inuẽtione diximus, non magnopere hæc deſyderabimus. Hic autem locus in omnia quæſtionũ genera conuenit. Generis enim quæſtio tractari poteſt, ut ſi quæratur, Sitne iuſtitia virtus? Ab antecedentibus confirmabitur hoc modo, Si afficere præmijs bene meritos virtus eſt, iuſtitia virtus eſt: primum autem eſt: ſecundum igitur. Quod in cæteris etiam demonſtrari poteſt. In omnibus autem quæſtionibus, vel confirmandis uel refellendis, argumenta vel ex attributæ, vel ex ſubiectæ rei tum antecedentibus, tum conſequentibus, tum repugnantibus elici poſſe & iam dictum eſt, & ex ijs capitibus quæ initio huius loci poſui, intelligi licet. Alia enim argumenta ad ea quæ ex ſubiectæ rei, alia ad ea quæ ex attributæ rei antecedẽtibus aut alijs duobus ſumãtur, accõmodata ſunt. Sed tamen exemplum unum ponam, qui res ſit illuſtrior. Sit poſita hæc quæſtio, Sit ne omnis uirtus expetenda? ex ſubiectæ rei antecedente doceri poteſt hoc modo, Si omne bonum expetẽdum eſt,

virtus etiam omnis expetenda est: primum autem est: secundum igitur. Ex rei autem quæ attribuitur antecedente, hoc modo, Si omnis virtus laudabilis est, omnis virtus expetenda est: Est autem virtus omnis laudabilis: Expetenda igitur est. Idem confirmari potest & consequentium, & repugnantium locis. Quæ eadem ad refellendum quid adhiberi possunt. Hunc enim locum in vtrãque partẽ valere dixi. Itaque qui aliquid confirmare uolet, exẽpli causa à consequentibus, is dili genter videre debet, quid rem vel subiectam vel attributam semper sequatur, & ex eo quod vult concludere. Qui autem refellet, uidebit quid aut nõ conueniat omnino, aut non semper conueniat. Hoc enim sumpto, id quod agitur refutabit. Quoniam autem cõfirmationis iam multa exempla posui, vnum ponam refutationis. Ponatur hæc quæstio, Sitne voluptas omnis in bonis, eam refutari licebit hoc modo, Si voluptas omnis est bonum, voluptas libidinosorum est bonum: Non est autem libidinosorum voluptas bonum: Non est igitur omnis in bonis voluptas.

Sequuntur duo loci inter se iuncti, quorum prior est rerum efficientium quæ causæ vocantur: posterior rerum effectarum, quæ effecta dicuntur, & effectus. Primum de causarum loco disseramus. Græcè ἀπὸ τῶν αἰτίων, & ἀπὸ τῶν ποιητικῶν dicitur. Causa est, quæ vi sua aliquid facit, aut adiumentum ad faciendũ aliquod affert. Causarum enim genera duo sunt, vnũ Cauz. gna duo

quod vi sua aliquid efficit, vt sol illuminat. Alterum quod vim efficiendi non habeat, sed sine quo res effici non poßit. Superius genus propriè causa efficiẽs appellatur: posterius materia, siue causa materialis. Vtrunque genus rursum in multas partes distributum est. Efficientium enim causarũ aliæ planè & certè efficiunt, nulla re adiuuante, vt sol lucet, ignis incendit & vrit, virtus bonos eos in quibus est efficit, sapientes sapientia, temperantia temperãtes cæteraque virtutes, & vitia omnia. Aliæ sunt quæ adiuuari volũt, vt virtus sola non efficit beatum, ut Peripateticis placet, sed corporis et fortunæ bona desyderat: actiões uirtutum, siue recte facta non efficiunt sola virtutes, sed hominis etiam operam requirunt. Illæ αἴτια ἐνεργοῦντα καθ' αὑτά, *hæ* συναίτια *dicuntur. Earũ etiam quæ naturam efficiendi nõ habent, partim nihil omnino agunt, vt locus constitutus, tempus, materia, instrumenta, & quæ sunt generis eiusdem: partim per se adiumentum afferunt, & antecesßionem, vt aspectus flagitio causam affert plerunque. hæ græcè* συνεργὰ *vocantur. His etiam alias partitiones adijcere possumus, quas Ciceronem ab Aristotele mutuatum esse magna ex parte in Topicorum commẽtarijs docui. Aliæ enim sunt quæ ita necessario suum opus efficiunt, vt nulla in eo appetitio, nulla voluntas, nulla opinio intelligatur, vt omne interire quod ortum est. Aliæ autem aut voluntate efficiunt, vt homines student, curunt, ambu-*

lant: aut perturbatione animi, ut beluæ impetum faciũt etiam in notos: vt homines qui ira aut aliqua alia animi perturbatione incitati, alijs nocent, alios interficiunt: aut habitu, vt si quis facile & citò irascatur: aut natura, ut morbus in dies crescit: aut arte, ut si quis bene disserat, aut bene dicat: aut casu, vt si quis thesaurum fodiẽs inueniat. Eorum autem vnumquodque definitione aperiendum est. Quoniam voluntas est boni cũ ratione appetitio, eæ solæ causæ volũtate id quod sub eas subiectum est, efficiunt, quæ aliquid cum ratione desyderant: in quo genere primum deus est, deinde angeli, tum animi & homines. Perturbatione autẽ ea quid efficiunt, quæ suos habent motus & appetitus, nec rationem sequuntur ducem. Quod duobus modis fieri potest, aut quòd rationis sint omnino expertia, cuiusmodi sunt beluæ: aut quòd si ratione vtantur, eam tamen in agendo vel non consulant, vel si consulant, aut negligant, aut aspernentur, quales homines sunt. Etsi enim rationis sunt participes, tamen sæpe eam ducem in gerendis rebus non sequuntur, sed vel aspernantur eã, vel negligunt, vel etiam in consilium non adhibent. Habitu autem ea quid faciunt, quæ ob eã causam gerunt aliquid, quia id sæpe fecerint. Habitum enim hic consuetudinem appellari existimo, vt qui sæpe irascitur, quandam procliuitatem ad iram comparat, qua facile & cito irascitur: & qui sæpe dicit aut disputat, facilitatem quandam dicendi & disputandi assequitur.

Natura verò ea quid facere dicuntur, in quibus causa eorũ quæ fiũt sic certa, et definita est, vt vel semper vel plerunque eodem modo fiant: vt animalia omnia natura expetunt quæ prodesse poßint, fugiuntque contraria. Hoc autem consuetudo à natura differt, quòd consuetudo aduentitia est, natura innata & insita. Ex quo intelligitur, ea quæ consuetudine faciunt aliquid, propterea facere, quòd id sæpe agendo aduentitium quid receperint: ea autẽ quæ natura quid faciant, quòd innatum hoc illis est, non assumptum. Cum autem consuetudo naturam imitari dicitur, & altera natura vocatur, in eo vis agendi spectatur, quòd quemadmodũ natura eorum est, vt dixi, quæ aut semper, aut fere eueniunt, sic consuetudo. Arte autem ea quid perficiunt, quæ certis quibusdam præceptis ad vnum finem spectantibus in faciendo vtuntur. Hoc enim inter eos qui consuetudine, & eos qui arte quid efficiunt, interest, quòd illi causam cur ita eueniat, nesciunt, hi sciunt. Casu autem eà quid facere dicuntur, quæ ea faciunt, quorum nec certa definitaque ac constans est causa, nec euentus ita certus ut vel semper, vel plerunq; videatur. Atque hæc quidem Ciceronis est partitio, ad quam illustrandam petitas ab Aristotele definitiones adhibẽdas censui. Has autem omnes causas rursus ita diuidit, vt in alijs constantiam, id est stabilitatem inesse dicat, in alijs neget. In natura & in arte inesse dicit, in cæteris negat vllam esse. De natura id cõcedi po

Cõsuetudo
Natura

test: propterea quòd quæ natura quid faciunt aut semper, aut fere id faciunt, vt ignis semper calorē affert, nix refrigerat, homo fere cū duabus manibus & decem digitis nascitur, interdū cū pluribus, interdum cū paucioribus. De arte autem ambigi potest. Nam cum ea quæ arte quid faciunt, voluntate etiam & ratione faciant, & quæ causæ voluntate faciunt, in ijs, ut uult, constantia non insit, efficitur, vt ijs in causis quæ arte quid efficiunt, non sit cōstantia. Hoc mihi respondendum videtur, naturā & artē propterea constātes esse causas, quòd certè & definitè, id est certa via ad finē suū ferè perueniant, quod nō fit in cæteris. Nā & natura certior est dux, & ars naturā adiuuare dicitur, vt ea quodāmodo videatur esse certior. Nec si volūtate faciunt ij quib. aliquid arte propositum est facere, propterea in arte inconstantia est. Etsi enim illi voluntate quæ incerta dux est, faciunt, tamen præcepta præterea adhibent, quæ eos ad finē propositū sine errore ducāt. Atque hoc modo occurrentibus nobis respondendum est. Multa autē contra superiorē etiam diuisionē dici possunt, quæ libēter dilueremus, nisi hoc alienū esset à nostro instituto. Intelligēdum est autē, superiores duas causarū diuisiones, et duas reliquas, quæ deinceps à Cicerone ponuntur, magis oratores quàm dialecticos attingere. Illi enim spectare solent, necessitaténe aliquid factum sit, an voluntate: Dialectici non admodum. Hoc loco nonnulli illa quatuor causarum genera quæ

tradit Aristoteles in lib. 2. de natura, efficiẽtẽ, materiã, formã, & finem, vt necessaria explicant. Ego autem quoniã video veteres, ut Aristotelem, vt Ciceronem, & Quintilianum solum efficientiũ genus persecutos, hunc locũ efficientiũ causarum nomine appello, sed ita vt materiã etiã in ijs numerandã existimẽ. Eam enim Cicero in ijs quæ efficiẽdi naturã non habẽt numerat, sed sine qua res effici non posit. Quod si ita est, forma etiam ac multo magis erit in hoc genere retinenda. Si enim materia ob eam causam ad hunc locum pertinet, quòd sine ea res nõ efficitur, formã etiã ei subijcere debemus, cũ non solũ sine ea res cohærere non posit, sed ab ea etiã quodãmodo uideatur effici. A forma enim & specie suam quæque res naturã vimque mutuatur. Quinetiam Cicero in prima Academic. efficientẽ eam nominat, his uerbis, De natura autẽ (id enim sequebatur) ita dicebãt, vt eã diuiderent in res duas, vt altera esset efficiens, altera autẽ quasi huic se præbens, eaque efficeretur aliquid. In eo quod efficeret, vim esse censebant. In eo autẽ quod efficeretur, materiã quandam. Atq; hæc ille. Est autẽ causæ eius quæ materialis dicitur, duplex genus, vnum quod natura cõstat, alterum quod arte. Natura, vt ea res quã materiam Cicero modo nominauit: arte, ut æs statuæ materia dicitur. Forma etiã duplex est una quam natura: altera quã ars operi adhibet. Natura enim homini, exẽpli causa, animũ ingenerauit, & cæteris animantib. rebus autem nõ sen-

tiētibus aliquid dedit instar animi, quod forma dicitur. Ars autē formam inducit, vt pictura lineamenta. Ea autē causa quæ finalis appellatur, à veteribus illa quidem repudiata est, sed tamen argumenta suppeditare potest. Itaque nihil prohibet eā adhiberi, dū modo ab ea vt à causa ad effectū, argumenta, non elici intelligamus. Nā & Aristoteles et Cicero hoc causæ genus ad effectum pertinere voluerunt. Aristoteles quidem in primo de moribus libro beatam uitam virtute effici & parari dicit, & Cicero in quinta Tusculana. Quoniam autē de causarū generibus multa dicta sunt, nūc de huius loci inuentione dicendū est. Duo igitur argumentorū genera ex eo duci licet. Alterū si ex causa id quod ab ea efficitur, cōcludamus. Alterum si effectui aliquid ex eo cōuenire, aut non cōuenire cōcludamus, ꝙ causæ cōueniat aut nō conueniat. Superius quidē genus, quibus in causis firmum sit, Cicero in Topicis explicat, Quare cū in disputationē inciderit causa efficiēs aliquid necessariò, sine dubitatione licebit quod efficitur ab ea causa, concludere. Cū autē erit talis causa, vt in ea nō sit efficiendi necessitas, necessaria cōclusio nō sequetur. De quo genere illud etiā Aristoteleum in. 2. lib. artis rhetoricæ intelligendū est, Alius locus est ex causa, Si enim sit causa, etiā effectus erit: et si absit causa, etiam aberit effectus. Vt primū enim causa est, id etiā est quod ab ea efficitur. Ex quib⁹ uerbis illud etiā perspicitur, in vtranq; partem hunc locum ualere. Sed

quædā hic causarū dissimilitudo spectanda est. In cōfirmatione enim semper in ijs causis firmū est argumētum, quæ aliquid necessariò efficiunt: in refutatione nō item, sed in ijs demū quæ sic aliquid solæ efficiunt, vt causa alia nulla idē separatim efficere possit. Vt necessaria illa cōclusio est, Si ignis est, calor est. Illa autem non est necessaria, Si ignis nō est, calor non est. At illa sequitur, Si sol non est, nec dies est, quoniā sic sol diem solus efficit, vt præterea causa alia nulla efficiat. In virtutibus & vitijs vtroque modo idem licebit concludere. Vt si temperantia est, aliquis est temperatus, si non sit, nullus est temperans. Atque hæc quidem de priore genere argumentorū, quæ sumūtur ab hoc loco. Posterius autē genus est, cum ut dixi, non ex causa effectum concluditur, sed ex eo aliquid effectui conuenire aut non conuenire efficitur, quòd eius causæ aut conueniat, aut non conueniat. Aristoteles quidem in secundo extremo Topicorum huius generis argumentorum locum communē (Maximam alij appellāt) tradit his verbis, Quorum effectorū causæ sunt in bonis, effecta etiā in bonis erūt. Hoc autem latissimè patet: pertinet enim ad expetēdas res, et ad fugiēdas, laudabiles et uituperādas, aliaq; innumerabilia quæ bonū et malū cōsequuntur. Vt si causa in bonis numeratur, id etiā quod ab ea efficitur, numerabitur in bonis. Si causa expetenda, et effectus. Si causa laudabilis, et effectus laudabilis erit. Vt si in laude est, et expetēda est frugalitas, et li

Locus cōis / Maxima

beralitas. Quod etiã ualet in cõtrarijs, ut si luxuries uituperãda, & auaritia. Si cupiditates malæ, et uituperãdæ: odia etiam, seditiones & bella quæ ex ijs nascuntur uituperãda sunt. Ex alijs etiam idem concludi potest, ut si causa est naturalis, & effectus. ut si natura homines congregauit, eadem respublicas procreauit. Et si natura homines inter eos societate quadam deuinxit, ab eadem iustitia profecta est. Eodem modo si causa cœpit esse, aut habuit principium, effectus etiam habuerit necesse est. Multa sunt alia etiam attributa causæ cum effectis communia. Hæc autem uera sunt non in ijs causis modò, quæ quid efficiunt nulla re adiuuante, sed in ijs etiã quæ adiuuari uolũt, dummodo sint principales. ut Peripateticorum sententia cum sola uirtus non efficiat beatum: sed præterea corporis & externa commoda desyderet, tamen quoniam principalis est beatæ uitæ causa uirtus, sequitur si illa bona est, & expetenda, etiã beatam uitam esse in bonis, & expetendam. At non si diuitiæ sunt in bonis, continuo etiam beata uita in bonis numerabitur, duntaxat ut ex causa effectus concludatur. Nam si conclusio illa sequatur, ob eam causam sequitur, quòd à maiore ducitur argumentum. In utranque autem partem hic locus, ut dixi, ualet, duntaxat in causis necessarijs. Hic autem locus ab eo qui est antecedentium differt, quòd hic aliquid efficienter antecedere oporteat, illic non oporteat. Itémque proximus locus qui est ab effectis, & is qui est consequentium hoc dif-

ferunt, quòd hic aliquid efficienter sequi debet, illic non debet. Distingui enim hi loci debent, ne ulla eorum sequatur confusio. Quod cum nonnulli non animaduerterent, in antecedentium, & consequentium locis hos duos tractauerunt. Ita eorum sententia hi non sunt necessarij. Hic autem locus solum in accidentis quæstionem incidit. Quod facile doceri potest. Proposita generis quæstione, si ex causa argumẽtum ad eam probandam uel refellendam sumi posset, profecto ex attributæ rei aut ex subiectæ causa duceretur. Nulla autem cõclusio ut utrunque concedamus, sequitur. Nam si ex subiectæ rei causa ad eam probandam quæstionem argumẽtum sumatur, eius tota uis illa erit, si causæ genus sit attributum, effectus etiam esse: sin ad refellẽdam adhibeatur, in eo tota uis illius posita erit, si attributũ causæ genus non sit, non esse etiam effectus, quorum neutrum necesse est. Non enim si, exempli causa, sol essentia est, idcirco essentia aut natura est eius lumen, aut calor: nec si (ut in eodem exemplo permaneam) sol non est qualitas, propterea eius calor in eodem genere non est. Quare positis his duabus quæstionibus, Sit'ne calor solis aut lumen essentia? Sit'ne calor solis aut lumen, qualitas? aut alijs eiusdẽ generis facile perspicietur hic locus in nullã generis quæstionẽ incurrere. Quod idem de proprij definitionisq; quæstionibus eodẽ modo facile demonstrari potest. Quòd si ita est, aut in quæstionem nullam, aut in solam accidentis hic locus adhibetur. Eum autem in ac-

cidentis quæstionibus incidere hinc sciri potest, quòd eæ quæstiones huius generis sunt, ad quas probãdas ea argumenta sumuntur, quibus aliquid effectui ex eo conuenire docetur, quia causæ conueniat. ut si quæratur, Sit ne ualetudo in bonis? ea accidentis est, ad eámq; cõfirmandam hoc argumentum ex causa sumi potest, Si medicina in bonis est, & ualetudo est: uel hoc, Si apta eorum quatuor quibus constamus, compositio in bonis est, & ualetudo. Cum autem ex causa effectus concluditur, ut cum dicimus, si in homine est sapientia, sapiens est, dubium est cuius horum quatuor erunt hæ quæstiones, ut si quæratur, Sit ne dies? & cõfirmetur hoc modo, Si sol lucet, dies est. Mihi quidem accidentis omnes eiusmodi quæstiones uidentur. Ac dubium non est quin hæc, Sit ne homo sapiens? & cæteræ eiusdem generis, in hoc genere uersentur. Illæ autem, An sit dies? An sit nox? & quæ sunt eiusmodi, ad idem genus pertinere ex hoc perspici potest, quòd in ijs quæritur, non, an sit nox aut dies omnino, sed an aëri cõueniat. Est enim aëris dies accidens, cum ei conuenire & nõ conuenire poßit, nullo interitu consequente. Hoc autem genus argumẽtorũ, quod supra priore loco ex causa sumi dixi, ad generis, proprij, & definitionis quæstiones accommodari non posse hinc intelligi licet, quòd si causa alicui conueniat aut non conueniat, non necesse sit, eius effectum ut genus, propriũ, & definitionem, conuenire, aut nõ conuenire. Quoniam igitur hũc locum ad solam eam quæ

de accidente est, quæstionē pertinere demonstraui, nunc paucis aperire institui, quot modis argumenta ex eo elicere possumus. Et quanquam hoc iam suprà aliqua ex parte confectum est, tamen id dicendum est planius. Posita accidentis quæstione, uidendum est, ex attributæ ne an ex subiectæ rei causa ea probare possimus, aut refellere. Subiectæ quidem rei causa argumētum nobis suppeditabit, quoties illi capiti quod supra posui, erit locus, Quarum rerum causæ sunt in bonis, earum effecta in bonis erunt, id est quādo attributum in rem subiectam cadere demonstratur ex eo quòd in eius causam cadat. Ex attributæ autem rei causa ducere licebit, quoties attributum ex eo rei subiectæ conuenire, aut non conuenire concluditur, quod eidem illius causa conueniat, aut nō conueniat. Vtriusque generis exempla sunt huiusmodi, Superioris, ut si quæratur, Sit ne uoluptas uenerea bonum, & expetēda? Id à causa uoluptatis refelli poterit hoc modo, Si opinio præsentis boni quod ex uenere percipere homines dicuntur non est bonum, nec uoluptas illa bonum est. Posterioris, ut si queratur, Sintne Germani robusti: id probari licebit hoc modo, In Germanis uis quædam inest quà facile possunt alios in quam uelint partem mouere uel trahendo, uel pellendo, uel deprimendo, uel etiam attollendo: Sunt igitur Germani robusti. Est etiam tertium quoddam genus argumentorum, quod à causa ducitur, cum simpliciter quia causa est, etiam effectus esse cōcluditur. ut si quæratur, Sit ne

calor: cõcludi id poterit simpliciter ex causa hoc modo, Si ignis est, calor est. Ignis autẽ est: calor igitur. Sed inter hoc & superiora interest, quòd hoc nisi in causis necessarijs, & quæ solæ nulla re adiuuante efficiunt id quod sub eas subiectum est, non ualet, illa autem in alijs etiam ualent. Ac ego quidem hæc argumenta omnia à locô efficiẽtium causarũ, ut dixi, cũ Cicerone & Aristotele sumi uolo: Multi autem à causarum loco, ut hũc locum causarũ appellent. Itaque causam in quatuor genera diuidunt, & ex quoque genere argumenta quæ ducantur, tradunt, eo etiam, quã maximam uocant, ego caput, unde uim sumant, exposito loco. Cur hoc sequerer, initio huius loci aliqua ex parte dixi, quò etiam addi potest præceptorũ facilior quædam explicatio. Quid enim facilius est his præceptis? Si causa necessaria & quæ sola aliquid efficit, ponatur, effectum etiam poni, Sublata eiusmodi causa, tolli effectum. Si causa in bonis aut malis ducatur, effectũ quoque numerari. Quinetiam hæc nostra illorum præcepta complexu suo continent. Si enim tã ea quæ efficiens, quàm ea quæ formalis, quæ materialis, & quæ finalis appellatur, sit aut absit, effectus etiam & res quæ ad finem pertinent sint aut non sint necesse est, dũ sint in eo genere quod dixi. Quod de bonis & malis iudicandum est eodem modo. Adhuc de ijs causis dixi, quæ uim ad efficiẽdum habent. Nunc pauca dicẽda sunt de ijs quæ uim habent interimendi, de ijs enim Aristoteles disserit. Earum autem totidem

de accidente est, quæstionē pertinere demonstraui, nunc paucis aperire institui, quot modis argumenta ex eo elicere possumus. Et quanquam hoc iam suprà aliqua ex parte confectum est, tamen id dicendum est planius. Posita accidentis quæstione, uidendum est, ex attributæ ne an ex subiectæ rei causa ea probare poßimus, aut refellere. Subiectæ quidem rei causa argumētum nobis suppeditabit, quoties illi capiti quod supra posui, erit locus, Quarum rerum causæ sunt in bonis, earum effecta in bonis erunt, id est quādo attributum in rem subiectam cadere demonstratur ex eo quòd in eius causam cadat. Ex attributæ autem rei causa ducere licebit, quoties attributum ex eo rei subiectæ conuenire, aut non conuenire concluditur, quod eidem illius causa conueniat, aut nō conueniat. Vtriusque generis exempla sunt huiusmodi, Superioris, ut si quæratur, Sit ne uoluptas uenerea bonum, & expetēda? Id à causa uoluptatis refelli poterit hoc modo, Si opinio præsentis boni quod ex uenere percipere homines dicuntur non est bonum, nec uoluptas illa bonum est. Posterioris, ut si queratur, Sintne Germani robusti: id probari licebit hoc modo, In Germanis uis quædam inest qua facile possunt alios in quam uelint partem mouere uel trahendo, uel pellendo, uel deprimendo, uel etiam attollendo: Sunt igitur Germani robusti. Est etiam tertium quoddam genus argumentorum, quod à causa ducitur, cum simpliciter quia causa est, etiam effectus esse cōcluditur. ut si quæratur, Sit ne

calor: cõcludi id poterit simpliciter ex causa hoc modo, Si ignis est, calor est. Ignis autẽ est: calor igitur. Sed inter hoc & superiora interest, quòd hoc nisi in causis necessarijs, & quæ solæ nulla re adiuuante efficiunt id quod sub eas subiectum est, non ualet, illa autem in alijs etiam ualent. Ac ego quidem hæc argumenta omnia à locô efficiẽtium causarũ, ut dixi, cũ Cicerone & Aristotele sumi uolo: Multi autem à causarum loco, ut hũc locum causarũ appellent. Itaque causam in quatuor genera diuidunt, & ex quoque genere argumenta quæ ducantur, tradunt, eo etiam, quã maximam uocant, ego caput, unde uim sumant, exposito loco. Cur hoc sequerer, initio huius loci aliqua ex parte dixi, quò etiam addi potest præceptorũ facilior quædam explicatio. Quid enim facilius est his præceptis? Si causa necessaria & quæ sola aliquid efficit, ponatur, effectum etiam poni, Sublata eiusmodi causa, tolli effectum. Si causa in bonis aut malis ducatur, effectũ quoque numerari. Quinetiam hæc nostra illorum præcepta complexu suo continent. Si enim tã ea quæ efficiens, quàm ea quæ formalis, quæ materialis, & quæ finalis appellatur, sit aut absit, effectus etiam & res quæ ad finem pertinent sint aut non sint necesse est, dũ sint in eo genere quod dixi. Quod de bonis & malis iudicandum est eodem modo. Adhuc de ijs causis dixi, quæ uim ad efficiẽdum habent. Nunc pauca dicẽda sunt de ijs quæ uim habent interimendi, de ijs enim Aristoteles differit. Earum autem totidem

sunt, quot efficientium genera. Aliæ enim sunt necessariæ, nec adiuuari uolunt, ut aqua sola nulla re adiutrice ignem restinguit: aliæ adiuuari uolunt, ut frigus non satis per se ualet ad interimendum hominem, nec intemperantiæ actio una ad depellendam temperantiam, quæ diuturno usu confirmata est. Est etiam genus causarum, quæ nihil omnino agunt in interimendo, sed sine quibus interitus non sequeretur, ut gladij, ut locus. In his autem generibus argumenta multo aliter ac in superioribus ualent. Neque enim ut illic, si causa in bonis est, cõtinuo in bonis erit effectus: ita hic si causa interimẽs in bonis sit, propterea id quod interit in bonis est: sed cõtrà, si causa in bonis est, erit res quæ euertitur in malis: & si causa malum est, bonũ erit id quod ab ea causa euertitur. Vt enim quæq; res optima est, ita eius interitus deterrimus, ex quo fit, ut causa eius interitus sit in malis. Nam si optimè constituta resp. est optima, deterrima sit ea causa, quæ eam labefactauerit & euerterit necesse est. In hoc genere quæstiones solæ accidentis existunt, ut si quæratur, Sit'ne natura siue esse in rerum natura bonum? doceri potest hoc modo, Dolor ex quo naturæ interitus sequitur malum est: bonum igitur natura. Atque hoc quidem genus argumentorum illud concludit, Si bonum aut malum sit aut non sit causa euertens siue interimens, id quod euertatur esse, aut non esse in malis aut bonis. Valent enim in utranque partem. Alterum autem genus hinc duci potest, quo ex causa quæ

habet uim interimendi, id quod interit ab ea, ſimpliciter concluditur. ut ſi in aquam ignis conijciatur, intereat ignis neceſſe eſt. Sed quoniam aqua conijci debet, ut ignis reſtinguatur, non ſimpliciter ſequitur concluſio, Si aqua eſt, ignis reſtinguitur. Itaque aptius erit exemplum illud Ciceronis in. 3. lib. de natura deorum, cuius uis in hac concluſione omnis poſita eſt, Si omne animal frigus & calorem, uoluptatem & dolorem ſentit, intereat neceſſe eſt. Hæc autem omne animal ſentit. Omne igitur animal neceſſe eſt interire. uel in hac, Nullum animal eſt ſine ſenſu frigoris & caloris, uoluptatis, & doloris. Nullum igitur animal eſt æternum.

Coniunctus eſt, ut dixi, huic cauſarum loco, ille qui à rebus effectis ducitur. Vt autem duo ſunt cauſarum genera multum diuerſa, unum quod rem efficit, alterum quod rem interimit: ſic duo ſunt genera eorum quæ efficiuntur ex illis. Sed propriè in illis effectus, in his interitus uocatur. Itaque ab Ariſtotele locus hic duplex ἐκ γενέσεων, *&* φθορῶν, *id eſt ex effectis, & interitu appellatur. Horum autem eadem quæ cauſarum diuiſio eſt. Sunt enim quæ uoluntate efficiuntur, ſunt quæ perturbatione, itémq; alia quæ in cauſarum loco expoſita ſunt. quod fit etiam in rerum interitu. Interitus enim rerum alius ſine hominum uoluntate, ſine appetitione animi et opinione euenit, ut uniuerſitatis interitus: alij aut uoluntate, ut cum homo alterum dedita opera interimit, aut partem abſcindit: aut perturbatione, ut cũ*

ira, aut cupiditate quis incitatus aut hominem, aut beluam interficit, aut aliquam partem amputat, aut domum aliámue rē aliquam euertit: aut habitu, ut si quis homines occidere, aut aliquam rem euertere assueuerit: aut natura, ut quæ ad summum perducta sunt, & amplificata, natura decrescunt, ueluti homines in senectute. in decretione enim est quidam interitus: aut arte, ut uitia quæ natura dedit, arte corriguntur, ut artis nomine diligentiam comprehendamus: aut casu, ut si quis casu corruat & perfringat quippiam. Hæc si quis planius uolet intelligere, ex causarum loco petat. Alia est etiam effectorum & interitus diuisio. Vt enim quædam effecta necessaria sunt, & quidā est interitus necessarius, id est qui ut primū causa est sequitur necessario, ut solis lumen, ut ignis calor, necessarij eorū effectus sunt, firmæ etiam corporis affectionis interitum morbus affert, & igni interitum aqua: sic effectus est alius & interitus nō necessarius, ueluti beata uita uirtutis est illa quidem effectus, sed tamen non necessarius, præsertim Peripateticorum sententia. Itémq; hominis interitus qui ex morbo sequitur, nō est necessarius: quandoquidē multi ex morbo conualescunt. Ex his autem totidem argumentorum genera quot ex causarum loco, elici possunt. Atque id fere fit conuersione. Vt enim conclusionem necessariam sequi dixi, cū ex causa quæ necessario aliquid efficit, effectus concluditur: sic contrà necessaria erit, cum ex effectu necessario causa concludetur, dum-

modo ab alia causa is non efficiatur effectus. Quemadmodum enim hæc argumentatio firma est, Si sol lucet, dies est: sic hæc, Si dies est, sol lucet. Atque ut summatim dicam, tum hic ualet argumentum, cum ab eo effectu progredimur, qui sine causa sua stare nullo modo potest. Sunt enim duo genera causarum, unum sine quo non solum esse, sed conseruari etiam id quod ab ea efficitur, non potest. ut sine solis lumine, dies esse nequit: alterum sine quo ut esse effectus nequeat (siquidem nihil sine causa potest esse) conseruari certè sine eo potest, quod genus patet latißimè. Fere enim effectus sublata causa permanet, præsertim in naturis & essentijs. Pleræq; autem qualitates sine causa præsertim principali conseruari & permanere nequeunt, ut uirtutes, ut uitia. Homo enim in quo hæc & alia eiusdē generis insunt, princeps eorū causa est, nec sine eo possunt aut esse aut aliquandiu permanere. quanquam hoc fit non qua ex parte homo uirtutum & uitiorum causa est, sed qua in eo illorum sedes est. Alterum genus argumētorum ex hoc loco ducitur, sed aliter ab effectu, aliter ab interitu. Ab effectu enim si sumatur, ex eo firmum erit, quòd si effectus in bonis aut malis sit, etiā causa erit: ab interitu autem ex eo quòd si interitus sit in malis aut bonis, cōtinuo malum bonúmue erit res ea, quæ interit. Ita in causis & effectis argumenti conuersio est. Vt enim necessaria hæc conclusio est, Si diligentia quæ in discendo adhibetur, bonū est, doctrina & disciplina est in bonis:

sic hæc firma est contrà, Si doctrina bonum est, diligentia etiam quæ in docẽdo & discendo adhibetur, in bonis est. Eadem est ratio causarum quæ uim habent interimendi, & eorum quæ intereunt. Si enim exẽpli causa, morbus qui labefactat aut interimit naturam & uitam in malis est, in bonis erit uita atq; natura: uicissimq; si natura & uita sit bonum, morbus qui eam tollit, erit in malis. Huic loco Aristoteles eum adijcit, quem ab usu rerum appellat, quem ab hoc Cicero non secernit. Exemplum enim hoc ponit in secundo libro de Oratore qui ad utrunque locum accommodari potest, Ex ijs autem, inquit, quæ sunt orta de causis, Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur, uectigalibus seruiamus. Hoc in argumento hæc quæstio accidentis latet, Sintne utilia uectigalia? eáq; probatur & ex effectu causæ, & ex usu. Vectigalium enim tam effectus quàm usus est, & ornamentum pacis & belli adiumentum. In oratione pro lege Manilia eodem fere argumẽto utitur, Etenim si uectigalia neruos esse reip. semper duximus, eum certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus. Paulò infrà ex amissione & interitu causæ, effectus interitum cõcludit hoc modo, Etenim illud primũ parui refert, uos publicanis amissis, uectigalia postea uictoria recuperare. quanquam etiam ex usu duci uideri potest. Vis enim eius argumenti omnis in hoc posita est, Si non sint qui uectigalia exerceant, uectigalia nulla

erunt: Publicani autem uectigalia exercent: ijs igitur amißis nulla erunt uectigalia. Quid autem locum usus rei à superiore differre uoluerit Aristoteles, si quis requirat, is sic habeat, in hoc rei actionem, & officium spectari, in illo rem simplicem. Exemplũ est huiusmodi, Si uti uirtute aut usus uirtutis bonũ est, uirtus etiam bonum: uiciβimq́; si uirtus bonum est, eius usus bonum. Si agros colere bonum est, agri in bonis sunt: & si agri in bonis sunt, etiam agros colere bonum. Ita retro commeat hîc quoque argumentatio. Sed tamen ab usu rei locus nomen habet, quòd ex rei usu bono uel malo res ipsa talis concluditur. Non est autem necesse quæ quæstionum genera in hunc locum adhibeantur, exponere. Eadem enim quæ in causarum loco, in hoc etiam existùnt. Itaque inde ea depromenda erunt, quæ ad hunc locũ pertinere uidebuntur. Postremus locus est comparationis. Est autem triplex, primus ἐκ τοῦ μᾶλλον, id est ex maiore, alter ἐκ τοῦ ἧττον, id est ex minore, tertius ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρχειν, id est ex pari nominatur. Quatuor autem argumentorum genera ex quoque horum elici possunt. quod facile ex ijs modis quibus res rebus attribuũtur perspici licet. Nam aut res una duabus, aut duæ uni, aut duæ duabus attribui possunt in argumentatione. Quartum genus argumentorum est cũ duobus aut pluribus propositis, utrum melius sit, aut quod optimum quæritur. Ego in hoc explicando loco eũ quem proposui, ordinem persequar. Atque ut de primo

dicam, scire oportet tum denique rem unam duabus in hoc loco attribui, cum utri magis an minus illa res conueniat, aut an illis duabus pari ratione conueniat quæritur. Locus is qui hîc ex maiore sumitur, solum firmus est in refutatione: qui ex minore, solum in confirmatione: qui autem ex pari, in utrāq; partem ualet. Eorū omniū exempla sunt huiusmodi: Ex maiore, Si uirtus non est se ipsa contenta ad beatè uiuendū, ne diuitiæ quidem sunt. Virtus autem non est se ipsa contenta ad beatè uiuendū: non igitur diuitiæ. Argumenti huius aliorúmq; eiusdē generis fides ab illo capite petenda est, Si cui multo maiore ratione res aliqua conuenire potest, ei non conuenit, ne ei quidem conueniet cui minus uidetur posse conuenire. Atque hoc caput Aristotelis est. Illud autem Ciceronis, Quod in re maiore non ualet, non ualeat in minore. Ex minore, ut Cicero pro lege Manilia, Legati quòd erant appellati crudelius, Corinthum patres uestri totius Græciæ lumen extinctum esse uoluerūt: uos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Rom. consularem, uinculis ac uerberibus atq; omni supplicio excruciatum necauit? Item illud, Si diuitiæ expetendæ sunt, uirtus quoque expetenda est. Cicero confirmationis huius loci hoc elementū dedit, Quod in minore ualet, ualeat in maiore. Aristoteles autem hoc inuenit, Si cui minus est uerisimile conuenire, aliquid conueniat, ei etiam conueniet, cui uerisimilius. Ex pari autem in utranque, ut dixi, partem ualet. In confirmatione tale

exemplum est, Si fortitudo expetenda est, & temperantia. In refutatione huiusmodi, Si cōsilio iuuare ciues non est laudabile, nec auxilio iuuare gloriosum est. Firmamentum huius loci apud Ciceronem tale est, Quod in re pari ualet, ualeat in hac quæ par est: aut si non ualet in illa, in hac non ualeat. hoc enim posterius addendum est, propterea quòd Aristoteles utrunque in secūdo Topicorum libro explicauit his uerbis, Si una aliqua res duabus pari ratione conueniat, aut cōuenire uideatur, neque alteri conueniat, ne alteri quidem conueniet. quòd si uni conueniat, etiam alteri. Nunc dicendum est de secundo genere argumentorum, cum duæ res uni attribuuntur. In hoc duæ illæ res uni subiectæ attribuūtur. Ex maiore autem argumentum hîc quoq; solum habet reprehēsionem firmam: ex minore solam probationem: ex pari utrāq;. Ex maiore hoc erit exemplum, Si in uoluptate non est uirtus, nec beata uita, id est si uoluptas non est uirtus, nec beata uita. Et si beata uita in uirtute nō est, multo minus in uoluptate. Ad huius autem loci confirmationem hoc caput perspicuum adhibetur, Si quæ res magis conuenire uidetur, non conueniat, nec quæ minus. Ex minore hoc modo, Si homo rerum futurarum sensum habet, & earum quæ adsunt. Huius loci illud firmamentum est, Si quæ res minus uidetur in alteram cadere, cadat, ea etiam cadet quæ magis cadere uidetur, Ex pari autem cum ducetur argumentum, fidem petere oportebit ab his capitibus: in

refutatione, Si duæ res eidem pari iure & ratione cõueniãt, & una non conueniat, ne altera quidem conueniet. In confirmatione, Quòd si una conueniat, etiam altera. Quod etiã alijs uerbis exprimere possumus, Si duo pari iure in una re ualeant, & unum non ualeat, ne alterum quidem ualere oportere. quòd si unum ualeat, alterum etiam ualeat oportet. Exempla erunt huiusmodi, Si dolor in malis est, & fugiendus est. Si resp. administranda est, & amanda. Si reip. consulendum non est, nec ea gubernanda est. Si uoluptas non est in bonis, nec expetenda est. Tertium genus est, cum duæ res duabus attribuũtur. in quo eandem habent auctoritatem argumẽta, quam in superioribus. Nam & ex maiore ducta solum in confirmatione ualent: & ex minore, in refutando: & ex pari in utroque. Hîc autem duæ res subiectæ sunt, & duæ attributæ. Exempla erunt eiusmodi, Ex maiore Cicero, Si in urbe fines non reguntur, neque aqua in urbe arceatur. Si uir cõstãs supplicio proposito ad mẽdaciũ impelli non potest: uerbis ad iniuriã faciendã uir bonus & iustus nõ impelletur. Ex minore, Si mulieres nulla ui cogi possunt ut ea enũcient quæ si diuulgẽtur nihil periculi est: amici fideles & ueri semper ea tacebũt, quæ ad suorum caput pertinere arbitrabuntur. Ex pari in confirmatione, Si uoluptas malum est, & dolor bonum. Si furari licet, cur stuprum inferre dedecet? In refutatione, Si docere quæ scias non est turpe, nec ea quæ nescias, discere flagitiosum. Si fortitudinis

non est pro patria in acie occumbere, nec temperantiæ animum à perturbationibus inuictum infractúmq; reddere. Primorum trium generum exempla posui: nunc quid inter argumenta quæ ex his ducuntur locis intersit dicendum est. Cum ex maiore argumentum sumitur, res maior in sumptionibus ponitur, & res minor in conclusione. Cum autem ex minore, contrà minor antecedere debet, & maior sequi. In argumētis uerò quæ sunt ex pari, rerum earum quæ comparātur, perspicua esse debet æqualitas. Hæc facilia sunt illa quidem, sed tamen in eis magni interdum auctores falluntur & errant. Nam cum argumentum hoc, Si diuitiæ expetendæ sunt, & gloria, sit ex minore, tamen sunt qui ipsum ex maiore elici dicant. Id uerò mihi placet, quod aiunt nōnulli, tum ex maiore duci argumentum, cùm res minor cum maiore: & contrà ex minore, cum res maior cum minore confertur. Nam uel id ad quod probandum aut refellendum, aliud sumitur, dicendum est id utrobique esse quod alteri comparatur, uel id quod sumitur. quod istorum quidem ratione uerum est, cùm argumento eo, quod ex maiore ducitur, id ad quod aliud sumitur, id est minor res cum maiore: in eo autem quod est ex minore, id quod sumitur, id est res maior, cum minore comparetur, cuius causam nullam afferunt. Mihi autem præterea (si de hac re sententiam roger) uidetur dicendum id semper conferri quod quæritur. Quemadmodum enim ipsum illud definitur, notatur, diuiditúrq;

in suas partes, sic comparatur. Ita cum ex maiore argumentum sumitur, rei maiori minor: cum ex minore, res maior comparatur minori. Quanquam autem superiora tria argumentorum genera hunc comparationis locum suppeditare dixi, tamen in his simpliciter aliquid, non cõparatè quæritur. Simplices enim sunt quæstiones & disputationes omnes eæ in quas incidunt. Nam & hæc, Sit ne iustitia utilis reip. simplex est quæstio, & ad eã confirmandam hæc ratio afferri potest, quæ ex minore ducitur, Si diuitiæ reip. utiles sunt, profecto eidem iustitia est utilis. Quod de cæteris iudicãdum est eodem modo. Quapropter illud quidem perspicuum est, eos adhuc locos tractatos esse à nobis, qui ad simplices quæstiones accommodati sint. Deinceps ij explicandi sunt, qui ad eas quæstiones referuntur, in quibus aliquid comparatè quæritur. Atque hoc quartum est argumentorum genus, quod ex comparationis loco sumi dixi. Intelligendum est autem, hoc genus quæstionis ex simplici ortum esse. Nam cum philosophi intelligerent, exempli causa, & iustitiam & fortitudinem esse expetendam, tum longius progredi instituerũt, cœperuntq; quærere, utra earum melior esset, & utra alteri anteponenda. Huius quidem loci & usus plurimus est, à nemine adhuc nisi ab Aristotele satis explicatus. Ego autẽ quæ partim ab illo, partim per me longo usu & diuturna meditatione didici, non alienum putaui tradere. Hoc igitur primum scire oportet omnes fere locos superiores, quos

in disputationem incidere docui, cum aliquid simpliciter quæreretur, in hanc etiam quæstionem qua aliquid comparatè quæritur, posse accommodari. Sed apti sunt ij maximè, qui à definitione, ab enumeratione partium, à coniugatis, à cõtrarijs, à causa efficiẽte & interimente, ab effectis & interitu, à consequentibusque sumuntur. Quorum omniũ pauca exempla ponam. Ac primum definitionis. A definitione quidem hic ita licebit argumẽtum ducere, si eius rei quæ eo nomine significatur quod comparatiuum & superlatiuum appellant grãmatici, definitionẽ potiùs vni quod volumus quàm alteri conuenire docebimus. Cui enim veriùs definitio conuenit, id magis sit tale necesse est, ut si exẽpli causà, hæc quæstio ponatur, Vtra melior sit virtus, an voluptas, definiendum erit bonum, Bonum autem dicitur primum id quod per se expetendum est: deinde id quod propter aliud expetitur: tum id quod omnia expetunt vel quæ sensũ, uel quæ mẽte sunt prædita, quæ virtuti magis quàm voluptati conuenit definitio. Idem etiam doceri poterit rerum subiectarũ definitionibus. Sæpe enim res singulis uerbis declaratæ, ut quales sint intelligi non potest, sic duabus reb. quæ inter se conferuntur vtri magis attributum conueniat, sciri vix interdum potest, nisi definitionibus explicentur. Quod vbi factum erit, tum si doceamus attributũ potiùs definitioni eius rei quã sequimur, conuenire, quàm alterius, id etiã effecerimus ipsi rei potius quã tuemur,

quàm ei quã aduersarij, conuenire. Cuius enim rei defi nitioni attributũ potiùs conuenit, ei etiam potiùs quàm alteri idem conueniat necesse est. Duobus ergo modis eam quæstionem qua aliquid comparatè quæritur, defi nitione probabimus, uel etiam (nam in vtranque partem hic quoque valet definitio) refellemus, tum definienda re quam comparatiuum aut superlatiuũ declarat: tũ ijs rebus quæ subiectæ sunt, definiẽdis. Superioris quidem exemplum posui, posterioris autem erit eius modi, Si fortitudo est virtus quæ homines ab omni metu liberos in periculis bellicis vt recta ratio præscri bit, reddit: & iustitia virtus est quæ semper suũ cuiq; tribuit: hoc autem quàm illud magis expetendum est, certè iustitia fortitudini est anteponenda. Ab enumera tione etiam partium illis duobus modis argumenta su mere licebit. Ab eius rei quæ attributò significatur, hoc modo, Si tria genera bonorum sunt, animi, corporis, & fortunæ, quorum animi bona multo præstant: virtus autẽ in animi bonis numeratur, virtus melior sit diuitijs, melior corporis pulchritudine necesse est. Idem licebit concludere à rerum quarum causa quæ bona sunt expetuntur, enumeratione. Sed hoc patet argumenti genus, quàm illud latiùs. Nam cum triũ rerũ causa quæ bona sunt expetantur, vt honestatis seu dignitatis, vtilitatis, & voluptatis: non solum aliud alio melius esse ex eo cõcludemus, quòd aut honestius, aut iucundius, aut etiam vtilius sit, sed ex eo etiam quòd

hæc omnia hoc complectatur, cum illud unum aut alterum, aut hoc duo, illud unum tantum contineat, vt virtus ipsa non solum dignitatẽ affert hominibus, sed etiam delectationem, & veram utilitatẽ: diuitiæ autẽ per se nõ afferunt dignitatem. Si autem duobus malis propositis, utrum grauius sit quæratur, ab horũ etiam trium quorũ causa omnia expeti solere dixi, enumeratiõe cõcludi licebit. Quod enim hæc omnia impedit, aut plura, eo deterius est, quod totidẽ nõ impedit. Idẽ quoque effici potest ab earum rerum enumeratione quarũ causa aliquid fugimus. ut turpitudinis, detrimenti, et molestiæ. A rerum etiam quæ declinantur enumeratione duci argumentum licebit ad id efficiendũ, vt res omnes quæ fugiendæ sint, vel turpes esse, vel inutiles, vel molestas: ex qua enumeratione id concludemus quod paulò antè dixi. Ab enumeratione autem partiũ rerum subiectarum elici argumentum hoc loco potest: vt si quæratur, Sitne amicitia diuitijs anteponenda? amicitiæ genera exponenda sunt, vt dicamus aliam honestate, aliam vtilitate, aliam voluptatibus dirigi, in quorum cum in vtilitate sola consistant diuitiæ, amicitiam concludemus eis esse anteponẽdam. Quod etiam ex earum rerum enumeratione, quarum causa amicitiæ expetuntur concludere licebit, cuius cõclusionis forma eadẽ erit, quæ superioris. Atque his tot modis ab enumeratione partium duobus propositis vtrum melius sit, poterimus concludere. A coniugatis autẽ vno

tantum modo ducemus argumentum. A rerum enim quæ inter se comparātur coniugatis tātum aliquid melius, aut non melius altero argumentum possumus sumere, vt si quæratur, Sitne iustitia fortitudini anteponenda? id concludere poterimus hoc modo, Si iuste facere præstat, quàm fortiter, iustitia fortitudini anteponenda est. Eodem modo ex contrarijs solum rerũ quæ conferuntur, firmum est argumentum, vt si quæratur, Sit ne iustitia fortitudini anteponenda? id cõfirmari licebit hoc modo, Si iniustitia magis declinãda est quàm audacia aut ignauia, iustitia fortitudini anteponenda est. Huius argumenti caput est, Cuius contrarium deterius, id melius est. Quod etiam contrà valet. Cuius enim contrarium leuius est, id grauius. Sed superiori vna in re occurritur. Nam cum odisse amicum deterius sit quàm odisse inimicum, tamẽ amare inimicum melius est quàm charum amicum habere. Eadem est causæ efficientis, & eius quod ab ea efficitur ratio. A causa enim efficiente rerum quæ comparantur, duci debet argumentũ. Sic Cicero in primo de officijs extremo libro confirmat vitam eam quæ in actione consistit, ei quæ contemplatione cernitur, esse anteponendã, Ob eam etiam causam eloqui copiosè, modo prudẽter, melius est, quàm acutißimè sine eloquentia cogitare, quòd cogitatio in seipsa vertitur, eloquentia verò complectitur eos quibúscum communitate iuncti sumus. Huius enim argumenti hæc vis est, Si cogitatio, id est

vita ea quæ in contemplatione posita est, postponenda est eloquentiæ, eloqui copiosè, modo prudēter, melius est, quàm acutissimè sine eloquentia cogitare. Cogitatio autem eloquentiæ postponenda est, quandoquidē in seipsa cogitatio uertitur, id est sibi tantū prodest: eloquentia verò complectitur eos quibúscum communitate iuncti sumus. Eloqui igitur copiosè, modo prudenter, melius est, quàm acutissimè sine eloquentia cogitare. Non hic disputo, an conclusio sequatur, quoniā de vtraque parte quæstio est: sed solum exemplū huius loci affero. Cogitare enim effectus est eius vitæ quæ cognitione & contemplatione cernitur: sicuti eloqui effectus eloquentiæ. Atque vt vno verbo multa complectar, omnium virtutū, artium, scientiarumq; munera & officia, in earum effectis habentur. Exemplum erit huiusmodi, Si iustitia melior est quàm fortitudo, iustè etiā quid facere præstat, quàm agere fortiter: primum autem est: secundum igitur. Huius argumenti caput & firmamentū est, Cuius causa melior est, id etiam melius est. In causis autem necessarijs id intelligi debet, quemadmodum et illud, Cuius causa est deterior, id deterius: & cuius causa minus expetēda est, & id minus expetendum. Ex effectis idem concludere possumus. Quarum enim rerum effectus meliores sunt, eæ quoque meliores. Quod contrà etiam valet. Exemplum erit huiusmodi, Si melius est gubernare rēp. quàm familiam, ciuilis scientia domesticæ discipli-

næ anteponenda est. Ab interitu contrà valet argumentum. Quarum enim rerũ interitus magis declinandi sunt, eæ sunt anteponẽdæ. Nam vt in eodem exemplo permaneam, Si reip. interitus magis vitandus est quàm familiæ, resp. familiæ anteponenda est. Consequentium locus reliquus est. Ex consequentibus autẽ rerum quæ comparantur, argumentũ duci debet. Duobus propositis vtro propagãtur maiora bona, id melius, & vtro maiora mala, id deterius, & quo minora mala id eligendũ est. Cicero primo de officijs libro hoc ferè loco uno docet prudentiam vrbanam non esse postponendam bellicæ fortitudini, Nec plus, inquit, Aphricanus singularis & vir & imperator in excidenda Numantia reip. profuit, quàm eodem tempore P. Nasica priuatus cũ Tib. Gracchũ interemit. Atq; sunt hi loci qui in eam quæstionẽ qua cõparatè aliquid quæritur, in accidentis quæstionibus conuenient maximè. Exemplorum autem copiam tantam non sum hic persecutus, quantam in simplici quæstione, quòd & superuacaneum hoc fuisset, nec satietate caruisset. Hoc verò intelligendum est, alios etiam locos in eandem quæstionem adhiberi, qui nec nomine, nec re ferè cum ijs qui simplicibus accõmodati sunt, congruãt. Omnes Cicero in quatuor partes distribuit, in numerũ, speciẽ, vim, et ad aliquas res affectionẽ. Vnicuiq; autẽ horũ quatuor communiũ locorũ plures partes subijcit, quas quoniam breuiter perstrinxit, ego pluribus explicabo.

Numero comparari dicit aliqua, cum plura paucioribus, aut contrà, comparantur. Et subijcit ea quæ tẽpore comparantur, quod non est verum omnino, nisi Aristotelis sententia tempus numerum esse dicamus, vt ad dierum annorumq́ue multitudinem tempus faciamus pertinere. Huius loci has partes enumerat, plura bona paucioribus bonis anteponenda sunt, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona breuioribus, longè & latè peruagata angustis, ea etiã ex quibus plura bona propagentur, quæq́ue plures imitentur & faciant. His autem locis nihil effici potest, nisi qui eorum sit modus intelligatur. Neque enim ille primus, Plura bona paucioribus bonis anteponenda esse, necessariam conclusionem semper efficit, sed tum denique cum aut in paucioribus illa plura bona inclusa nõ sunt: aut plura eadem sunt eiusdem generis, quod excellat: vel sic mixta, vt pauciora illa, uel eiusdem generis, uel mixta ab eis lõge multumq́; superentur. Vt si quæratur, An diuitiæ, honores, & amicitia, beatæ vitæ, & fortitudini sint anteponenda? non est dubium, quin hæc pauciora illis pluribus præstent. Eadem est secundi huius ratio, pauciora mala pluribus malis anteponenda esse. Eodemq́ue modo cæteri explicandi intelligẽdiq́; sunt, vt ex ijs necessaria sequatur conclusio. His autem ita constitutis, & explicatis, facile intelligi potest, quibus in causis & quæstionibus horum locorum vsus sit. Nam primus hic, Plura bona paucioribus anteponi,

itemque ille, Pauciora mala, malis pluribus, adhiberi debent in has & similes quæstiones, Sitne valetudo, gloria & iustitia, gloriæ & iustitiæ anteponendæ? Sitne pulchritudo corporis, uires, et libertas, pernicitate et proceritate meliores? An exiliũ et bonorum amissio, egestati, vinculis, & eculeo anteponenda sint? An eculeus, & carcer, dedecori, exitio, et morti? Argumentum autem ducetur hoc modo, Si pulchritudo corporis, vires, libertas tria bona sunt, & pernicitas atq; proceritas tantum duo, illa his anteponenda sunt. Primum autem est: secundum igitur. Tum ad propositionem cõfirmandã, locus ipse sumẽdus erit, Plura bona anteponenda esse paucioribus, addita ea quam exposui, explicatione. Aliter enim firmũ non erit argumentum. Atque hoc quidem genus loci ad eum quem paulò antè explicaui definitionis locum, reuocandum est. Si quis enim loco allato non concedat, boni definitione cogendus erit. Quibus enim magis boni definitio conuenit, ea sunt habenda meliora. Neque enim ob aliam causam plura bona paucioribus bonis anteponenda sunt, nisi quòd in ea coniuncta ueriùs bonorũ definitio valet. Similis est ratio illius extremi loci eorum quos à Cicerone sumptos tractamus, Et quod plures imitentur & faciant. Bonum enim id dicitur vno modo, quod omnes expetunt, cuius hoc cõsequens est, Plures enim habentur ferè pro omnibus. Sed hoc ad doctos & bonos pro re quæ tractabitur, referri debet.

Neq; enim si plures expetant diuitias, ipsique sibi principes ad imitandum proponant, idcirco diuitiis virtus est anteponenda. Ille autem tertius, Diuturniora bona breuioribus, ad eum locũ reuocari debet, quem ab usu supra nominaui. Cuius enim usus diuturnior est, id melius. Vt uirtus scientia et arte melior est hoc ipso, quòd diuturnior: quemadmodum Aristoteles primo de moribus libro docet. Eodem modo diuitiæ affectæ sunt ad virtutem, artes omnes ad valetudinem aliaque innumerabilia. Tractabitur autem hoc modo, Si virtutis vsus diuturnior est, quàm diuitiarum, virtus diuitijs melior est. Virtutis autem vsus diuturnior est. Nam quò virtutem sæpius, & in plures excolas, eo maior est: diuitiæ autem quò in plures effundantur, minores: uirtus igitur diuitijs anteponẽda est. De stabilitate quã Aristoteles addit, idem confirmari licet. Cicero in primo de officijs diuturnitate & stabilitate confirmat res vrbanas maiores bellicis, propter earũ vsum permanentiorem, Quanuis enim Themistocles iure laudetur & sit eius nomen quàm Solonis illustrius, citeturque Salamina clarißimæ testis victoriæ quæ anteponatur consilio Solonis ei quo primum constituit Ariopagitas: non minus tamen præclarum hoc quàm illud iudicandũ est. Illud enim semper profuit, hoc semper proderit ciuitati, hoc consilio leges Atheniensiũ, hoc maiorum instituta seruantur. Ille quoque locus, Longè et latè peruagata angustis anteponenda, boni definitione

continetur. Superior quidem locus ad tempus, hic autem ad quantitatem pertinet. Atque his etiam verbis exprimi solet, Quo quodque bonũ communius, eò melius. Eius autem tractatio est talis, Si iustitia totum genus hominum complectitur, fortitudo autem ad paucos pertinet, iustitia fortitudini anteponenda est. Amicitiam Cicero diuitijs, opibus, honoribus, valetudiniq́; præponit, q, & maior eius usus sit, et latius pateat, et stabilis sit ac diuturna, Amicitia plurimas res cõtinet, quocunque te uerteris præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiua, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, non aere (vt aiunt) pluribus locis vtimur quàm amicitia. Atque hæc de ijs quæ numero comparantur. Sequuntur ea quæ specie. Specie autem comparantur ea quæ ex contraria parte genera bonorum diuidunt. Bona enim alia propter se expetuntur, alia propter aliud: quædam sunt innata, alia assumpta: alia sunt integra, alia contaminata: alia sunt iocunda, alia minus iocunda: multisq́ue alijs modis bona diuiduntur in suas partes. De quibus pauca dicẽda sunt. Quæ propter se expetuntur ijs quæ propter aliud, anteponenda sunt, vt virtus diuitijs, et omnino honesta ipsis vtilibus. Ad definitionem boni hic tandẽ locus reuocandus est. Bonũ enim id est vno modo, quod propter se expetitur. Hic magnam argumentorum copiã rei subiectæ ac propositæ suppeditabit definitio, vt si definiantur, quæ propter se expetantur. Nam cum id

propter se expetatur, quod vi sua, etiã si nihil inde utilitatis redundaret, peteretur, nõ est id quidem dubium, quin eo etiam definito quod propter aliud expetitur, multo maior vis illorum facile appareat. Insita verò aduentitijs anteponũtur, vt ars & doctrina quæ sunt nostro marte & labore comparatæ, ijsdem si aliorum opera comparẽtur. Huius causam affert Aristoteles, quòd plus laboris indigeant. Innata autem assumptis alia quadam ratione anteponuntur, quòd difficilius amittuntur. Itaque quemadmodum ille eo reuocandus est, vt quæ maiore labore constant, ea meliora esse, ita hic eo, vt quæ difficilius amittuntur, ijs quæ facilius, præstare doceantur. Quanquam & hæc ratio superioris loci afferri potest, vt ea insita vocemus, quæ in nobis sunt: aduentitia, quæ poßidentur. Itaque Cicero paradoxo VI. hac ratione diuitijs virtutẽ dicit anteponendam. Etenim si isti callidi rerum æstimatores prata & areas quasdã magno æstimant, quòd ei generi possessionũ minime quasi noceri potest, quanti æstimanda est uirtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vnquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatũ, nec temporum permutatione mutatur. Quanquã hoc exemplum ad locum aliũ paulò pòst tractatum pertinet. Integra autẽ contaminatis meliora sunt, quòd in suo quidque genere manens melius est, q̃ si in aliud degeneraret, aut à suo deflectat. Itaqꝫ hæc in rebus eiusdem generis spectanda sunt. Vt integri oculi & ualen

tes, ijſdem labefactatis & corruptis anteponãtur, vt aqua & aer ſalubris peſtilenti, aliaq́ue eiuſdẽ generis. Hoc argumento tẽperantia continentiæ anteponitur. Iocunda quoq; minus iocundis anteponenda ſunt: idq́; fit propterea quòd omnia uoluptatẽ & delectationem perſequuntur, & oblectationis cauſa expetunt. In his autem & alijs pleriſq; locis cætera paria eſſe debent. Non enim dubiũ eſt quin aliquid in quo minus ſit voluptatis quàm in alio, alia ex parte anteponi oporteat, ut in rebus bellicis minus eſt oblectationis, quàm in paranda & amplificãda re familiari, et tamen militaris diſciplina domeſticæ anteponitur. Honeſta verò ipſis vtilibus anteponenda eſſe inter doctos & ſapiẽtes cõſtat, quos dignitas cõmouet maximè: pleriq; autẽ diuitijs & opibus hæc cõcedere uidẽtur oportere. Sed hoc loco non quid imperita multitudo ſentiat, ſed quid docti, attẽdendũ eſt: honeſtatis autẽ et utilitatis definitionibus id facilè docebitur. Procliuia etiã laborioſis præponderãt, et cõtrà laborioſa procliuibus, ſed alia atq; alia ratione & ſentẽtia. Nã illud ſuperius quod eſt Ciceronis, non omnino verũ eſt, ſed in rebus diuerſi generis. ut uirtus eſt hoc modo diuitijs anteponẽda, quòd facilius ſit uirtutẽ ſi opera ei detur, adipiſci, quã parare diuitias, cũ ſemper in nobis ſit, ut eã habeamus, illas nõ ſemper. Quarum enim rerũ in nobis cauſæ ſunt, eas facilius habere & nãciſci poßumus, quàm eas quarũ cauſas in nobis non habemus. Eodem modo artes &

scientiæ ijsdē anteponuntur. Posterius autē Aristotelis est, idq; confirmat hac ratione, quòd ea chariora sunt nobis quæ non est facile parare. Virtus in hoc genere erit, & diuitiæ, si virtutē in medio consistere definiamus, quod assequi sit difficillimū. Necessaria quoque non necessarijs præponderāt. Cū hoc loco dico præponderare necessaria non necessarijs, bonitatē nō cōiungo. Neq; enim si quid magis necessariū est, continuò etiam est melius. vt viuere necessarium est, bene viuere non necessarium, cum bene viuere melius sit, quàm omnino viuere. Itemque videre, & audire, magis necessarium est, quàm integrè & acriter cernere, et facilè audire, quorū hæc sunt quàm illa meliora. Quòd si quis obijciat, non necessaria contrà necessarijs anteponenda esse hoc ipso quòd meliora, id non semper verum est. Melior enim est dei vita, quàm hominum: & tamen non est illa huic ab homine quidem anteponēda. Quicquid enim anteponitur, id in potestate sit eius qui optat, necesse est. Nec si vitam eā quæ actione cernitur Cicero extremo libro primo de officijs anteponendam esse confirmat, quòd illa sit magis necessaria, idcirco melior est. Hoc apud Ciceronem sequitur, Sua alienis. s. anteponēda: apud Aristotelem autē pro alienis, cōmunibus ponitur. vtrunque verum est. Virtus priore modo diuitijs præponitur. Nam cum suum cuiusque in cuiusq; sit potestate: & virtus in hominis sit potestate, diuitiæ in fortunæ temeritate, fit ut virtus di-

uitijs præponderet. Itaque hoc argumento in libr. de Amicitia Cicero confirmat summũ bonum in diuitijs non esse ponendum: Diuitias alij præponunt, bonã alij valetudinẽ, alij potentiã, alij honores, multi etiã voluptates. Beluarũ hoc quidem extremũ est, illa autẽ superiora caduca & incerta, posita nõ tam in nostris cõsilijs, quàm in fortunæ temeritate. Quod autẽ sequitur apud Ciceronẽ, Rara uulgarib⁹, scilicet anteponẽda, id ad possessionẽ modò referendum est, vt aurũ quoniã rarum est, ferrum autẽ, stannum, et plumbum uulgaria, ob eã causam illis anteponitur, quòd auri insignior sit possessio. Nam si ad vsum referatur, cõtrà vulgaria raris anteponi videbuntur. Quo enim pluribus locis vtimur, aut diutius, id anteponendũ est, quoniã magis necessarium. Sequitur illud, Desyderabilia ijs quibus facile carere possis. Hoc boni definitione continetur. Nam cum bonũ sit id quod expetatur, & desyderabilia magis expetãtur, quàm ea quibus facile carere possumus, fit ut desyderabilia illis anteponẽda sint. Illa autẽ duo, Perfecta inchoatis, et tota partibus anteponenda, in rebus eiusdẽ generis spectanda sunt. Nõ enim dubiũ est quin si ad res diuersi generis referãtur, possint refelli. Quis enim perfectã ex ligno sellam, aureæ inchoatæ, aut totam eandem sellam parti eius quæ ex auro est anteponat? Nam quod sequitur, Ratione vtentia rationis expertibus, scilicet anteponenda, id ad generis & ordinis præstantiam accommodandum est.

Rationis enim expertia, si ex usu & indigentia ponderentur, ferè anteponuntur. Nemo est enim qui non pluris emat fundum, quàm pauperẽ qui sit debilis, si uenderetur. Eodemq́ue modo sentiẽdum est de illo, Animata inanimatis. Voluntaria autẽ necessarijs tum anteponenda sunt, cum ad animum utrunque refertur, ut necessarium idem valeat quod nõ voluntariũ. Cicero ipse in primo de Officijs lib. Platonis de philosophorũ iustitia sententiã hoc loco refellit, Itaque eos ad Remp. ne accessuros quidem putat, nisi coactos. Aequius autem id erat voluntate fieri. Nam hoc ipsum, ita iustum est quod rectè fit, si est voluntarium. Hoc enim quæri potest, melius ne sit ad remp. gerendam, coactum, an voluntate sua accedere. Quanquam Cicero mihi iniuria Platonem uidetur reprehẽdere. Ait enim Plato in secundo de rep. δεῖ δὴ αὐτοῖς ἀνάγκην προσεῖναι καὶ ζημίαν, εἰ μέλλουσιν ἐθέλειν ἄρχειν, id est, Itaque vi & damno cogantur oportet, vt velint ad remp. accedere. Sequitur etiam illud caput apud Ciceronẽ, Naturalia nõ naturalibus esse anteponẽda. Naturalia autẽ bona hoc loco ea intelliguntur potius quæ natura et ui sua bona sunt, quàm ea quæ à natura insunt. Nam de his paulò antè disseruit, cum dixit, Innata & insita assumptis & aduentitijs scilicet esse anteponẽda. Hoc modo iustitia & ius quod natura cõstat, meliora sunt ijs quæ lege aut voluntate iusta sunt, vt non naturalia bona ea appellemus, quæ non natura, sed vel lege, uel

consuetudine, vel pacto, uel alio modo bona sunt. Itaque hic locus latißimè patet. Quæri enim hoc potest, vtrum ius præstãtius, idne quod natura, an quod lege constat, vt naturale, an ciuile? Et vtri potius parendum non scripto, an scripto? aliaque sexcenta generis eiusdem. Alio etiam modo naturalia bona intelligere possumus ea quæ natura efficiuntur, vt non naturalia ea uocemus, quæ non natura, sed uel arte, uel casu fiãt. Hanc ego sententiam vt uerioré esse credã, facit is locus qui proximè sequitur, Artificiosa non artificiosis, scilicet esse anteponenda, vt uideatur dixisse, quemadmodum ea quæ natura ijs quæ nõ natura fiant præstãt, sic ea quæ arte, ijs quæ nõ arte efficiantur, esse meliora. Itaque hunc etiã locum, vt cæteros, adhibuit Cicero in. 2. de natura Deorũ libro, Si ergo meliora sunt ea quæ natura, quàm illa quæ arte profecta sunt, nec ars efficit quicquã sine ratione, nec natura quidem rationis expers est habenda. Quanquã aliam ad quæstionem hoc eius argumentũ pertinet. Huius loci magnæ quæstiones sunt propriæ, vt si quæratur, Meliúsne sit mundum natura, an casu administrari? An melius sit rẽp. natura, an pacto et instituto hominũ esse cõstitutã?

Adhuc de ijs diximus quæ numero & specie cõparantur. Nunc de ijs quæ vi cõferuntur, dicendũ est. Primus locus hic à Cicerone ponitur, Efficiens causa grauior, quàm non efficiens. Eum autem sic intelligere debemus, vt dicamus eã causam quæ bonum efficiat,

meliorem ea quæ non efficiat. ut uirtus melior diuitijs, quoniam uirtus bonum efficit, diuitiæ non efficiunt. Diuitiæ enim tantum in ijs sunt causis sine quibus nonnũquam bonũ effici non poßit. Itaque hoc loco ea cognoscenda sunt, quæ suprà de causis in earum loco tradidi. Nec uerò causa efficiens grauior est modo quàm nõ efficiens, sed etiam quàm efficiẽs casu & fortuito. ut uirtus melior est quàm fortuna, quòd illa per se, hæc fortuito & impropriè causa est bonorũ. Cõtrà in malis est. Quod enim efficiens est malorum, deterius eo est quod non est efficiens. & quod per se eorundem efficiens est fugiendum est potius, quàm quod eadẽ temerè & casu efficit. ut culpa potius uitanda est quàm casus, aut necesßitas. Cicero principio tertij libri de Officijs hoc loco usus est, Si fugiendum id quidem censet, sed multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem, errat in eo quòd ullum aut corporis, aut fortunæ uitium, uitijs animi grauius existimet. Itémq; duas causas efficiẽtes comparari inter se licet, earúmq; ea melior erit primũ, quæ aliquid melius efficiat, de quo genere iam antè dictum est: deinde ea cuius finis est præstantior. Hoc modo artes omnes comparari inter se possunt, quoniam nulla est prorsus quæ non sit effectrix boni. Itaque ex finibus quos habent propositos, iudicanda & spectanda earum præstantia est. Sequitur hic locus, Quæ se ipsis contenta sunt meliora quàm quæ egent alijs. Hoc utitur Cicero in secundo de Officijs libro, cũ iustitiam pru-

dentiæ comparat, Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet: quippe cum ea sine prudētia satis habeat auctoritatis. Prudentia sine iustitia nihil ualet ad faciendam fidem. Quò enim quis uersutior & callidior, hoc inuisior & suspectior detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ iustitia coniuncta quantum uolet habebit ad faciendam fidem uirium. Iustitia sine prudentia multum poterit: sine iustitia, nihil ualet prudentia. Idem principio libri de inuentione, eloquentiæ sapientiam eodem argumento anteponēdam esse concludit. Aristoteles in Topicis eodem modo fortitudini iustitiam dicit esse anteponendam. Quæ etiam in nostra, ijs quæ in aliorum potestate sunt, anteponuntur. ut uirtutes quæ sunt in nostra potestate, meliores sunt quàm externa bona. Nam si hic locus ad bona externa tantum referatur, non uideo quæ sit eius cum illo dissimilitudo, Sua alienis homines scilicet anteponūt. potest etiam intelligi in ijsdē bonis & in diuersis quæ sint illa quidem nostra, sed alia in nostra, alia in aliorū sint potestate. Potest etiam ad illa bona quæ adipisci possumus & quæ non possumus, referri, ut omnes malint uitam hic humanam & breuem, quàm diuinam & sempiternam degere, quod hanc assequi non possint. Et omnes malint semper pedibus ingredi, quàm uolare: frustra enim id expetant. Extrema hæc duo huius tertij generis capita, Stabilia incertis: quæ eripi nō possunt, ijs quæ possunt anteponenda, supra exposui. Reliquum

est quartũ genus, in quo quædam ad res aliquas, ut Ciceroni placet, spectatur affectio. Hic bona non per se spectantur, sed quatenus aliorum sunt uel propria, uel aduẽtitia, uel innata. In hoc genere primum hoc caput numerat, Principum commoda maiora quàm reliquorũ. Aristoteles hoc & pluribus explicat, & manare uult latiùs. Ait enim ea bona omnia quæ in meliore insunt, & quæ iustiorẽ habẽt uenerationẽ, meliora esse ijs quæ in deteriore, ut bona Dei hominũ commodis, & animi bona corporis bonis esse anteponẽda. Idem Cicero primo libro de Officijs, plus operæ in domesticis, quàm in militaribus factis ponendum esse confirmat hoc argumento, Omnino enim illud honestum quod ex animo excelso magnificóq; quærimus, animi efficitur non corporis uiribus. Paulò infrà, Honestum autem id quod exquirimus, totum positum est in animi cura & cogitatione. In libro de Senectute, Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda uersari senectutem negãt. similesq; sunt, ut si quis gubernatorem in nauigãdo agere nihil dicãt, cum alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant: ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat quæ iuuenes. At uero multo maiora & meliora facit. Non enim uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ gerũtur, sed consilio, & auctoritate & sententia. Quanquam hoc exemplum eum locum magis attingit, quem supra tractauimus, Quæ à meliore efficiantur, ea meliora. Restãt

dentiæ comparat, Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet: quippe cum ea sine prudẽtia satis habeat auctoritatis. Prudentia sine iustitia nihil ualet ad faciendam fidem. Quò enim quis uersutior & callidior, hoc inuisior & suspectior detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ iustitia coniuncta quantum uolet habebit ad faciendam fidem uirium. Iustitia sine prudentia multum poterit: sine iustitia, nihil ualet prudentia. Idem principio libri de inuentione, eloquentiæ sapientiam eodem argumento anteponẽdam esse concludit. Aristoteles in Topicis eodem modo fortitudini iustitiam dicit esse anteponendam. Quæ etiam in nostra, ijs quæ in aliorum potestate sunt, anteponuntur. ut uirtutes quæ sunt in nostra potestate, meliores sunt quàm externa bona. Nam si hic locus ad bona externa tantum referatur, non uideo quæ sit eius cum illo dissimilitudo, Sua alienis homines scilicet anteponũt. potest etiam intelligi in ijsdẽ bonis & in diuersis quæ sint illa quidem nostra, sed alia in nostra, alia in aliorũ sint potestate. Potest etiam ad illa bona quæ adipisci possumus & quæ non possumus, referri, ut omnes malint uitam hic humanam & breuem, quàm diuinam & sempiternam degere, quod hanc assequi non possint. Et omnes malint semper pedibus ingredi, quàm uolare: frustra enim id expetant. Extrema hæc duo huius tertij generis capita, Stabilia incertis: quæ eripi nõ possunt, ijs quæ possunt anteponenda, supra exposui. Reliquum

est quartũ genus, in quo quædam ad res aliquas, ut Ciceroni placet, spectatur affectio. Hic bona non per se spectantur, sed quatenus aliorum sunt uel propria, uel aduẽtitia, uel innata. In hoc genere primum hoc caput numerat, Principum commoda maiora quàm reliquorũ. Aristoteles hoc & pluribus explicat & manare uult latiùs. Ait enim ea bona omnia quæ in meliore insunt, & quæ iustiorẽ habẽt uenerationẽ, meliora esse ijs quæ in deteriore, ut bona Dei hominũ commodis, & animi bona corporis bonis esse anteponẽda. Idem Cicero primo libro de Officijs, plus operæ in domesticis, quàm in militaribus factis ponendum esse confirmat hoc argumento, Omnino enim illud honestum quod ex animo excelso magnificóq; quærimus, animi efficitur non corporis uiribus. Paulò infrà, Honestum autem id quod exquirimus, totum positum est in animi cura & cogitatione. In libro de Senectute, Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda uersari senectutem negãt. similesq; sunt, ut si quis gubernatorem in nauigãdo agere nihil dicãt, cum alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant: ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat quæ iuuenes. At uero multo maiora & meliora facit. Non enim uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ gerũtur, sed consilio, & auctoritate & sententia. Quanquam hoc exemplum eum locum magis attingit, quem supra tractauimus, Quæ à meliore efficiantur, ea meliora. Restãt

tria capita quæ definitione boni explicantur, Quæ iocũdiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata, ea scilicet esse meliora. Nam cum bonum sit quod omnia expetant, plures instar omnium habentur, & optimus quisque: & bonum non aliam fere ob causam expetitur, nisi quia in eo uoluptas inest & oblectatio. Atque hæ quidem quatuor partes sunt, in quas comparationis locum Cicero diuisit. Aristoteles autem multos præterea locos enumerat, qui ad superiores addi possunt. Quæ igitur à meliore arte proficiscuntur, ea sunt eius sententia, anteponenda omnia. ut quæ a philosophia proficiscuntur ijs meliora sunt, quæ ab architectura. Itémq; quæ ui sua in genere bonorum sunt, ijs quæ non sunt, ut iustitia quæ per se & natura sua bonum est, uiro iusto qui non per se, sed iustitiæ interuentu bonus est, anteponitur. Et quæ omnino bona sunt, ijs quæ alicui prosunt, ut ualere quàm secari melius est. Quæ in antiquioribus sita sunt: ut ualetudo uiribus corporis, & corporis uires pulchritudini anteponẽdæ. Valetudinis enim antiquior quàm illorum sedes est. Illius enim sedes in humore, siccitate, calore, & frigore, ijsq; omnibus ex quibus primùm animal constat: uires autem corporis in neruis & oßibus sitæ sunt. Pulchritudo uerò corporis in apta quadam compositione membrorum, quæ posteriora sunt illis. Finis ijs quæ ad finẽ pertinent. ut beata uita uirtuti anteponitur. Quæ ad meliorem finem referũtur, ijs quæ ad alium. ut uirtus rebus ijs quæ ad ua-

letudinem pertinent. Quo tempore aliqua pluris sunt, ea tum magis expetenda. ut in senectute externa bona & prudentia. Quæ per omne tempus ætatis plus possunt ijs quæ maxima parte, utiliora. ut iustitia fortitudine. Sunt præterea loci alij ab eo explicati & in tertio Topicorũ, & in primo de Rhetorica libro, quos cuiq; licebit, si sit opus, depromere. Nos his contenti erimus, præsertim cũ necessarium nullum prætermisisse uideamur. Quæ de comparatione expetendarũ rerum dixi, eadem, sed contraria ex parte, ad fugiendarum rerum comparationem accommodari possunt. Vt enim quæ pluribus probata, meliora sunt, sic deteriora, quæ paucioribus, Et quemadmodum quæ per se bonorum causæ sunt, anteponi debent, ita postponenda ea quæ per se ijs quæ non per se causæ sunt malorum. Eadem est reliquorum ratio & sententia. Scire autem oportet id quod superiore libro dixi, accidentis esse omnes quæstiones, ad quas adhiberi possit hic comparationis locus. A pari autem argumentorum totidem genera, quot à maiore & minore, sumuntur. Nam & numero, & specie, & ui, & ad aliquas res affectione comparantur. Tractatio etiam eadẽ est omnino, nisi quòd hic in comparatione uerbis ijs quæ æqualitatem declarant, utendum est. Quoniã locos omneis qui in utrunq; quæstionis genus conuenirent, tam in id quo simpliciter aliquid quæritur, quàm in id quo comparatè, exposuimus, eósq; ad quatuor illa quæ sola in disputationem incidere possunt, genus dico, definitio-

nem, proprium & accidens, accommodauimus: in quibus omnibus id quæritur, nũ aliquid alteri omnino conuenit: sequitur ut de locis ijs disseramus, qui apti erunt ad eas quæstiones, quibus quæritur, num uerbum propositum sit rei de qua agitur, genus, proprium, accidẽs, aut definitio. Nam cum hoc primum quæri debeat, num res rei, aut uerbum uerbo cõueniat omnino: deinde quomodo conueniat, an ut genus, definitio, proprium, aut accidens, quoniam satis de superiore disseruimus, fit ut iam alterum tractare debeamus. Quæstionum autem genera hoc loco erunt totidem, quot dixi in omnem incidere disputationem. Primum erit generis, alterũ proprij, tertium definitionis, accidentis extremũ. Primi generis hoc erit exemplum, Sit'ne habitus perturbationis genus? Et num uoluntarium sit perturbationis differentia? Alterius erit huiusmodi, Num ignis sit proprium celerrimè sursum ferri? Definitionis, ut, an hoc totũ, rerum expetendarũ fugiendarúmq; scientia sit prudentiæ definitio? Primũ de genere dicemus, deinde de cæteris.

Genus quidem quid sit, quótq; in partes tribuatur, & quæ sit eius cũ reliquis dißimilitudo, iam libro superiore diximus. Loci autem ijdem in hanc quæstionem incurrent, qui in superiores. Nam & à definitione, & ab enumeratione partiũ, & à genere, & à forma, & à coniugatis, & à similitudine, & à dißimilitudine, & ab antecedentibus, & à consequentibus, & à cõtrarijs, & à repugnantibus, & à causis, & ab effe-

ctis, & à maiore, minore, ac pari ad confirmandum & refellendum aliquid alicuius esse genus, argumentum sumi potest. De quibus omnibus pauca dicenda sunt, ac primum de definitione. Duci quidem potest à definitione quadruplex argumentũ. Primum à generis, alterũ à speciei, tertiũ ab eius rei quæ genus esse dicitur, quartũ ab eius rei cuius id de quo agitur, genus esse ponitur aut non ponitur, definitionibus. A generis definitione, ut si quæratur, sit'ne animal homini genus? id cõfirmari poterit hoc modo, Si animal ita in hominibus intelligitur, ut de ijs, ac de alijs præterea specie differẽtibus in quæstione quid est dicitur, animal homini genus est: primũ autem est: secundum igitur. Ac in confirmatione quidẽ hoc uno modo cõcludi potest. In refutatione autem magnam nobis hic locus suppeditabit copiam. Nam cum generis definitio multas complectatur partes, nullam abesse oportet, si genus futurũ est id de quo quæritur. Itaque genus propositum, si uel de multis specie differentibus, uel de eo cuius genus esse ponitur in quæstione quid est non dici concludatur, refelletur. Priori locus erit, si quis deum aut solem genus esse concesserit, hoc modo, Si sol de multis specie differentibus nõ dicitur, sol non est genus omnino: Sol autem non dicitur de multis specie differentibus: Sol igitur genus nõ est. Posterioris autem exemplum erit huiusmodi, Si mortale in quæstione quid est de homine non dicitur, mortale hominis genus non est, &c. A speciei autem definitione in refel-

lendo ualebit, nec uerò omnis, ſed eius quæ modò eſt ſpecies non etiã genus. ut in ſuperiore exemplo, Sol non dicitur niſi de uno, aut multis numero tantum differentibus. Sol igitur non eſt genus. quãquam hoc genus argumenti ſuperiori diſsimile non uidetur. A definitione autem eius quod alterius genus eſſe ponitur, non ſolum in refutando, ſed etiam in probando ſequitur concluſio. In refutando quidem ſi definitio generis propoſiti formæ cuius genus ponitur, non conueniat, eius non erit genus. Generis enim cũ ſpecie communicari debet definitio. ut ſi quis animatæ naturæ ſentientem genus eſſe dixerit, refelletur hoc mòdo, Si corpus animatũ non eſt natura animata ſenſus particeps, non eſt genus animatæ naturæ natura ſentiens. Hoc appellat Ariſtoteles participare aliquo. Eſt autem aliquo, ut genus ſpecie, participare, eius recipere definitionem. Loci huius uis in eo poſita eſt, quod modo dixi, Generis cũ ſpecie definitionem communicari oportere. Nam cum genus latius pateat quàm forma quælibet, eáque quæ ſupra ſunt in ijs dicantur quæ ſibi ſubijciuntur, fit ut eorum quoque dicantur definitiones. In confirmatione autem ita deniq; ualebit, ſi conſtet conuenire, & ſit ſolũ controuerſia an ut genus conueniat. Tum enim ſatis erit oſtẽdere alicuius generis eorũ quæ ſupra ſunt, etiam formæ conuenire eandẽ definitionem. A ſpeciei autẽ eius generis de quo agitur, definitione in refellendo argumentum firmũ elici poteſt. ut ſi quis ponat id quod eſt genus unius, aut rei,

id refutari licebit hoc modo, Si unius definitio cum eo quod est communicatur, nō est genus unius id quod est: Communicatur autem: Non est igitur eius genus. Potest primo loco ipsa definitio exprimi. Eodem modo nec doloris ægritudinem, nec lætitiæ gaudium genus esse doceri potest. Loci caput est & firmamentum, formarum definitionē generi cōuenire non oportere. Nam quoniam genus de multis specie differētibus dicitur, & ea quæ suprà sunt, de ijs quæ infrà, aut certè ea quæ æquè patēt de ijs quæ tam latè patent, speciei definitio generi cōuenire nullo modo potest. Hoc autē loco non solum ex eo aliquid genus alterius non esse doceri potest, quòd speciei definitio illi quod genus ponitur, cōueniat: sed ex eo etiā, quòd cū eo genere quod suprà est, ut à capite etiā arcessamus, cōmunicetur. Proximus locus est à partium formæ enumeratione, ualet in utrāq; partem. In confirmatione, ut si quæratur, sit'ne corpus animalis genus? id probabitur hoc modo, Si omne animal est uel rationis particeps, uel rationis expers, corpus animali genus est: quod autem est rationis particeps & expers, id omne animal est: corpus igitur animali genus sit necesse est. Atq; hoc ducitur ab enumeratione differētiarum. Ab enumeratione autē formarū hoc modo, Si omne animal aut homo est, aut bestia: & omnis homo, omnísq; bestia animal est: corpus est genus animali. In refutatione cōtra docēdum est partē nullam earum quæ speciei subiectæ sunt, generi de quo quæritur, conuenire. ut si quæra-

tur, sit'ne numerus animi genus? id refelletur hoc modo, Si animus nec par, nec impar numerus est: non est numerus animi genus omnino: Animus autem nec par, nec impar numerus est: Non est igitur animi genus numerus. Idem ad enumerationem formarũ transferri licet, ut dicamus, si animus nec duo est, nec tria, nec quatuor, & sic deinceps, animi genus nõ est numerus: Primum autem abest: Secundum igitur. Locus communis est, De partibus formarũ genera dici oportere. Generis partibus idem, siue probando, siue refellendo concludere possumus. Genus autem diuiditur in summũ genus, medium, & infimum. Quanquam hoc potius ad probandum aut refellendum aliquid esse genus omnino, cõducit. Proximus locus est generis. Plurimus eius est usus in refutatione. A genere quidẽ formæ cuius genus propositum esse cõceditur, hoc modo licebit refellere, si quæratur exempli causa, An quẽadmodum placet Socrati, temperantiæ sit genus scientia? Si uirtus genus temperantiæ est, nec scientiæ subiecta est, nec eam complectitur, temperantiæ non est genus scientia: Virtus autem genus temperantiæ est, nec uirtus scientiæ subiecta est, nec eam complectitur: Non est igitur scientia temperantiæ genus. Huic loco occurritur, diciturque satis uideri, si duo genera certæ formæ uni generi subijciantur. quod in duobus, de quibus agitur, contingit. Habitus enim & uirtutem & scientiam complectitur. Itaque hoc addendum erit ad argumentum, si

ſit ſecutura concluſio. Nam tum ſemper erit neceſſaria. Ac mihi quidem certè non ſemper omnino dicendum uidetur duo illa genera eidem non ſubijci: ſed ſæpe hoc ſolum pronunciandum eſt,non contineri illa eodem citra ſummum genus. Idem licebit refellere,ſi à genere eius quod genus eſſe ponitur, ducamus argumentum. ut ſi quæratur,Sit ne animi numerus genus? reprehendetur hoc modo,Si numerus non eſt qualitas, non eſt numerus animi genus: Primum autem abeſt: Secundum igitur. Locus communis, Cuius genus non eſt id quod ſupra eſt, eius non eſt quod infra eſt genus. Hoc in loco utile erit etiam uidere, num genera quæ ſupra ſunt de forma cui genus propoſitum datur, in naturæ quæſtione dicantur omnia. Si quod enim non dicatur,non erit uerum genus.ut ſi quis dicat,corui id quod nigrum eſt genus, refelletur hoc modo, Si id quod coloratum eſt genus eius eſt quod eſt nigrum,nec de coruo in quæſtione naturæ id quod coloratum eſt dicitur,id quod nigrum eſt eſſe corui genus non poteſt. In cõfirmatione autem nullum argumẽtum hic locus ſuppeditat. Forma ſequitur, cuius locus ſolum ualet in refutatione. Vt ſi quæſtio ponatur, An numerus animi genus ſit, refelli poterit hoc modo, Si animus eſt uitæ particeps, nec ullus numerus poteſt uiuere, profectò animi genus eſſe numerus nullo modo poteſt. A coniugatis exemplum erit huiuſmodi, Si iuſtitiæ ſcientia genus eſt, quod ſcienter ſit, eius erit genus quod iuſtè ſit: non eſt autem id

quod ſcienter fit eius quod fit iuſtè genus: non eſt igitur iuſtitiæ genus ſcientia. In confirmatione ualet idem locus, Si ſentiendi iudicare eſt genus, ſenſus etiam genus iudicium eſt: Sentiendi autem iudicare genus eſt: Senſus igitur genus eſt iudicium. Similitudinis hoc exẽplũ erit, Si iuſtitiæ genus eſt uirtus, iniuſtitiæ etiam uitiũ genus eſt: Primum autem eſt: Secundum igitur. Propoſitionis erit ratio, Quam enim rationem habet uirtus ad iuſtitiam, eandem uitium ad iniuſtitiam habet. Idem argumentum ex contrario etiam ducitur, ſed ratio propoſitionis diuerſa eſt. Si enim ex contrario ſumatur, hæc ratio afferetur, Si contrarium contrarij genus eſt, & propoſiti contrarij genus erit propoſitum contrarium. In alijs etiam ualet hic locus. In refutatione hoc modo, Si uoluptatis bonum genus non eſt, nec utilitatis eſt. Quam enim habet rationem ad bonum uoluptas, eandem habet utilitas ad eandem. Vtrunque enim eius efficiens eſt. Diſsimilitudinis locus eodem modo in utranque partem ualet. Non quemadmodum uirtus temperantiæ genus eſt, ita eſt continentiæ. In confirmatione, Si animi genus eſt natura incorporea: animalis, corpus eſt. Quanquam hoc argumentum ad ſimilitudinem referri poteſt. A conſequentibus etiam generis firma argumenta ſumuntur, ſed ſolum in refutatione, Si homo de multis ſpecie differentibus non dicitur, homo non eſt genus. Si mortale in quæſtione naturæ non dicitur, non eſt hominis genus. Hæc enim duo generis ſunt conſe-

quentia. Si quid enim genus sit, id de multis specie differẽtibus dicatur, necesse est. itẽq; in naturæ quæstione. Idem locus est à consequentibus speciei propositæ, & generis propositi. Si enim detur formæ eiusmodi genus quod formam ipsam antecedat, aut quod eandem neque ipsum neque differentia sequatur, genus esse illius hoc loco refelletur. Debet enim formam sequi & genus & differentia. Si enim homo est, etiam animal est, & rationis particeps: contrà non si animal est aut rationis particeps, continuo homo est. In hoc errore uersantur, qui animi genus numerum esse dicunt. Nam cum natura seu essentia omnis accidens sequatur, animus autem quem formam ponunt sit natura, & numerus quem genus ponunt, sit accidens: non est dubium quin id genus esse statuant, quod antecedat, cum sequi debeat. Idem etiam usuuenit ijs qui id quod est, unius genus ponunt. Ei enim quod est, non antecedit unum, quod in specie necessarium est. Antecedere autem hoc loco id dicitur, à quo sequitur necessaria naturæ conclusio. ut sequitur, Si homo est, etiam animal esse. At sequitur si id quod est sit in rerum natura, etiam unum esse. Duorum autem superiorum argumentorum unum est ab antecedentibus, alterum à consequentibus. Vt enim dixi, & genus formam ac differentiam antecedere, & forma atque differentia idem sequi debet. Sequitur cõtrariorum locus. Eorum quatuor sunt, ut antè dixi genera. Ex ijs quidem quæ aduersa dicuntur, multa argu-

menta in utranq; partem sumi possunt. In confirmatione tria hæc firma erunt. Primum à contrario formæ, Si formæ generis de quo agitur, sit contrarium, quod quidem in eodem genere in quo forma illa, collocetur: non reperiatur autem ullum generis contrarium, genus erit id quod propositum est. quomodo affecta sunt inter se, uirtus, uitium, habitus, ut habitus affectioni subijciatur. Alterum genus in contrarijs tantum ualet ijs quæ media habent, quæ eadem media cum extremis communicant. Atque idem à formæ contrario ducitur hoc modo, Si rufus color forma est coloris, etiam color nigroris genus sit necesse est. Locus cõmunis, Quod genus medij cõtrarij est, idem & extremi contrarij. Tertius modus à generis contrario sumitur. Cuius exemplum est huiusmodi, Si uirtus temperantiæ genus est, & uitium intẽperantiæ. Primum autem est: Secundum igitur. Locus communis, Si contrarium contrarij genus sit, & propositi id de quo agitur genus sit necesse est. Atque hæc quidem ad confirmandum adhibentur. In refutatione autem hæc ualent. Primum ex formæ contrario, cum nihil generi est contrarium, hoc modo tractabitur, Si habitus non est genus impudentiæ, nec habitus est uerecundiæ genus. Locus communis, Si formæ contrarium non est generis propositi forma, nec formæ ipsius genus erit de quo agitur. Contrariorum enim eadem sunt genera. Alterum argumenti genus à generis de quo quæstio est, contrario sumitur. Eius exemplum erit

huiusmodi, Si impudentiæ genus nõ est uitium, nec uerecũdiæ uirtus genus est. Locus communis, Si contrarium generis de quo agitur, non est genus contrarij formæ illius generis, nec propositum genus propositæ formæ genus est. Nam quemadmodum supra dixi, Contrariorum genera sunt contraria. Tertium genus argumenti rursus à formæ contrario sumitur. Eius hæc tractatio est, Si actionis qualitas non est genus, nec perpessionis est. Locus communis, Quorum contrariorum alterius nullum genus est, nec alterius esse. Quatuor præterea Aristoteles argumẽtorum genera quæ ad refellendum pertinent, proponit. Mihi autem hæc satis multa sunt, quoniam non est mihi propositum singula persequi. Ab ijs autem contrarijs quæ priuantia Cicero uocat, Græci alij στερητικά, Aristoteles ἕξιν & στέρησιν, sumuntur argumenta quæ ualent in utranque partem. In confirmatione exemplum erit idem quod aduersorum, Si cæcitatis genus est sensus uacuitas, aspectus etiã genus sit sensus necesse est. Locus communis, Si unius contrarij contrarium sit genus & propositæ formæ cõtrariæ contrarium id quod quæritur, genus erit. Atque hoc unum in confirmatione firmum est. In refutatione duo sunt. Prioris generis exemplum est tale, Si mortis genus est dissolutio, uitæ non est idem genus. Locus cõmunis, Priuantium non esse idem genus proximum. Posterioris erit huiusmodi, Si cæcitatis ignoratio genus non est, nec aspectus genus est scientia. Aientia & negan-

tia sequuntur: quæ idem argumentandi genus suppeditant, quod in quæstione simplici. In confirmatione eius tantum usus est, Si id quod non est uirtus, genus est eius quod non est iustitia, uirtus etiam iustitiæ genus est, Aut contrà, Si uirtus iustitiæ genus est, quod non est uirtus eius quod non est iustitia, erit genus. Ab ijs autem quæ cum aliquo conferuntur, multa argumenta duci licet. In confirmatione à speciei contrario hoc modo, Si simpli genus sit id quod cum aliquo confertur, dupli etiam est. Locus communis, Si species genus habeat ea quæ cum aliquo conferuntur, & genus propositum habebit. Alterum est in confirmatione, cuius hæc tractatio est, Si dupli genus est multiplum, & simpli submultiplum. Locus communis, Contrariorum cõtraria sunt genera. In refutatione autem multo plura sunt, quæ omnia non necesse habemus exponere. Unum est huiusmodi, Si species per se ad id referatur, ad quod genus propositũ nõ poßit. Alia peti possunt à categorijs. ut si non sint simul natura species & propositum genus: si non eodẽ casu inter se conferantur: si non reciprocentur.

A causa efficiente argumentum valet in utranque partem. In confirmatione hoc modo tractabitur, Si docendi genus est agere, doctrinæ etiam aut institutionis genus est actio. Quod etiam valet in refutatione. Si enim docendi genus non est agere, nec doctrinæ erit actio genus. Si idem argumentum conuertamus, ducetur ab effectis, Si institutionis actio genus est, & insti-

tuendi agere est genus. Si ædificij opus genus est, ædificandi etiam genus est operari. Restat locus comparationis, ex maiore, minore, & pari. Huius loci vsus est plurimus & in confirmatione, et in refutatione. In confirmatione, primum si quid speciei genus esse osten dere velimus, id vel ex alio genere, quod aut minus speciei propositæ genus sit, quàm nostrum, aut æquè, id esse concludemus: uel ex alia specie, cuius id genus de quo agitur, aut magis quàm nostra, aut æquè sit genus. Exẽpla erunt huiusmodi, Si dialecticæ ars est æquè genus ac vis, uis autem eius genus est, etiã ars erit. Quod etiã ad argumentum ex maiore transferri licet. Sunt enim plerique qui dialecticã vim differendi, non artem esse definiant. Sunt contrà qui citius eam artem quàm vim & rationem esse cõcedant. In alio genere species alia ponitur hoc modo, Si artis dialectica species est quædã magis, quàm rhetorica: et rhetorica est, erit etiã dialectica. Ita ars dialecticæ est genus. Ad æqualitatẽ idẽ exemplũ transferri potest. Atq; hoc posterius ad probandã quoq; speciẽ adhiberi licet. In refutatione contraria ex parte hic tractatur locus, Si sensus genus magis est scientia, quàm virtutis: nec sensus est genus: ne virtutis quidem est. Si continentiæ æquè ac patientiæ virtus est genus, & continentiæ non est, nec erit patiẽtiæ. Si continentia æquæ aut potius quàm verecundia, uirtutis forma est: nec continentia est, nec erit verecundia: ita non est virtus verecundiæ genus. Idem transfer-

ri licet ad probandam speciem. Nec uerò hæc sola, sed & superiora omnia. Nam cum generis hæc sit hoc loco quæstio, Sitne, exempli causa, verecundiæ genus perturbatio? & speciei hæc, An verecundia species sit perturbationis? non est dubium quin in vtrunque genus eadem argumenta adhibeantur. Quin etiam eadē in differentiæ conuenient quæstionem. Nam quoniam cum quæritur aliquid de differentia, hoc solet quæri, Sitne, exempli gratia, id quod voluntarium est virtutis differentia, vel hominis rationis particeps, fieri non potest, quin ijdem loci ad hæc accommodentur, præsertim cum uel in generibus, uel in generum formis omnis cernatur differentia. Quòd si qua sit dissimilitudo, ea erit in definitionis, enumerationis partiū, & consequentium locis: sed tamen facile poterunt ad superiorū normam, similitudinemque dirigi. Ac de ijs quidem quæstionibus, in quibus an sit genus, differentia & forma id de quo agitur, & cuius sint quæritur, hactenus.

Quoniā autem definitio omnis ex genere et differentijs, vt docui, constat, secundo loco eas quæstiones considerabimus, quibus quæritur, an id quod propositū est, sit & cuius sit definitio. Quanquam hoc iam confectū magna ex parte à nobis videtur. In definitionis enim loco bene longam orationem in ijs explicandis cōsumpsimus, quibus vera à falsa & uitiosa facile internosci potest. Quæ si teneamus, nō est dubium, quin & ad confirmandam & ad refutandam definitionē venia-

mus instructiores. Nam & quæ vitia definitionũ essent dixi, & qui uera esset definitionis modus, et quot genera definitionum. Cumque ex genere & differentijs constet definitio, ijdem certè loci qui ad confirmandum aut refellendum genus & differentiam valent, ad definitionem quoque pertinebunt. Quoniam autem huic quæstioni ea subiecta est, qua idemne sit, an aliud quæritur, de ea pauca dicenda sunt. Eadem quidem et alia seu diuersa aliqua dicuntur tribus modis. Alia enim sunt eiusdem vel diuersi generis: alia eiusdem aut diuersæ speciei, alia eiusdẽ aut diuersi numeri. Ea eiusdem generis sunt, quæ eidem generi subijciũtur, vt homo & equus. Subijciuntur enim generi animalium. Contrà diuersi generis sunt ea, quæ diuersis generibus subijciuntur, vt homo & virtus. homo enim in natura, virtus in qualitate collocatur. Eiusdem autem speciei sunt ea, quæ multa sunt & eidem speciei subijciuntur, vt duo homines: differunt verò specie ea, quæ non vna & eadem specie continentur, vt bos & equus. Alia est enim boum species, alia equorum. Eiusdẽ autem numeri dicuntur ea, quorũ nomina sunt multa, res eadem, ut homo & ridens, homo & animal rationis particeps mortale, ut ea omnia quæ à grãmaticis synonyma uocantur. Diuersi numeri sunt ea, quorũ & nomina multa sunt & res diuersæ, ut singulæ res omnes. Eiusdem autẽ numeri aliqua ex eo dicuntur, quòd eundem numerum explent & conficiunt, ut vnionem pro

numero vsurpemus. Neque enim id quod definitur et definitio, alium numerum, ac alterum eorũ efficiunt, ut non dicuntur duæ res, sed una tantummodo, quod secus est in cæteris. Cumque his tribus modis res eædem aut aliæ dicantur, tamen cum aliquid in disputationem incidit, idémne sit an aliud, id ferè quæritur, an res eadẽ sit vna quæ altera. Itaque Cicero in Topicis cũ eos locos qui in hanc quæstionẽ conueniunt, nominat, solũ de eadem quæstione disserit. Idque hinc intelligi potest, quòd si huius hæc, illius illa causa est, aut si ex alio hæc, ex alio illa effecta est, cõcludi posse dicit, res illas non esse easdem. Quod non est necesse in tribus generibus quæ explicaui. Nam alia hominis causa est, alia equi, cum interea homo & equus sint generis eiusdẽ. Eodem modo Aristoteles quem in his libris secuti sumus, huic quæstioni omnes locos accõmodauit. Quocirca nos ad idem genus locos referemus. Si omnes superiores velim repetere, vereor ne curiosus videar. Itaque contenti omnes erunt, si admoneam, eosdẽ fere omnes in hanc etiam posse incurrere. Si enim vnius definitio, aut genus, aut cõiugatũ, aut cõtrariũ, aut consequẽs, antecedẽs & repugnãs, aut causa, aut effectus sit, alterius autem nõ sit, ex quouis horũ non esse idem cõcludere licebit. Ac in refutatione quidẽ si horũ unũquodque absit, firma erit conclusio. In confirmatione autem vt argumentum firmũ sit, hæc ferè omnia oportet concurrere. Neque enim satis est vt sint idẽ aliqua,

eorum idem esse genus, eadem coniugata, eadem contraria, consequentia, antecedentia, repugnãtia, eandem causam, eadem effecta. Nam & hominis atque bouis idem genus est: & ignauiæ ac audaciæ idẽ est contrarium, fortitudo: et iustitiæ ac iusti eadẽ sunt coniugata, iuste: & hominis ac bouis eadem sunt tum antecedentia, tum consequentia, tum repugnantia, qua ex parte animalia sunt: & singulorum hominum qui fratres sunt, eadem est causa: & maris atque fœminæ idem effectus. Ita fit, vt solus ferè definitionis locus firmũ ad id probandum suppeditet argumẽtum. Sunt tamen alia quæ ad definitionis locum quodammodo referuntur. vt, Quæ duo sunt idem quod tertiũ aliquid, ea idẽ sunt. Quæ eadem prorsus habent rerum attributa, ea idem sunt. Quæ duo in ijsdem omnino rebus dicuntur, ea non differunt. Quæ eadem contraria ex parte valẽt in refutando. Si qua enim duo sint eiusmodi, ut eorum alterum sit idem quod tertium, nec alterum sit, ea non sunt idem. Quod etiam fit in cæteris duobus. Quæ enim sunt eiusmodi, sine quibus vniuersis res eædẽ esse nequeant, eorum si quid tollatur, & adimatur vni, non erit idem quod alterũ. Sed hoc loco ne nos attributorũ dißimilitudo fallat, videndum est. Neque enim si quid vni attribuatur, alteri non attribuatur, sed adimatur, continuò ea duo non erunt idem. Sic enim idem homo qui vno tempore albus est, alio niger, alius atque fuerat esset. In quo illud generale præceptum tenendum

est, eas res quæ sensus aut rationis sunt participes, attributis ijs quæ in nouem extremis categorijs collocātur, siue addantur, siue tollantur, non alias effici, sed easdē permanere. Vt homo est idem vir, qui puer erat: idem pater, qui ante quàm generaret: idem cū bonus, & cū malus est: idē cum agit quid, & cū nihil agit: idem cū patitur (excipio mortem et eorum membrorum præcisiones quæ necessaria sunt) & cum non patitur: cum in Gallia est, & cum in Germania: æstate, & vere: cum stat, & cum sedet: cum denique vestitus est, & cum nudus. Quapropter si quid est quod alias eiusmodi res faciat, sunt eorum solum membrorum amputationes, sine quibus cohærere nullo modo possunt, vt caput, vt thorax, vt cor. Causa autem est, quòd solus animus sensus & rationis particeps, in his rebus, vt sint eædē, spectatur. Itaque tollantur licet omnia membra, dummodo animus maneat, hæ res eædem numero remanebunt. In cæteris autem rebus, quæ per se cohærent, magis materiæ quàm speciei & formæ habetur ratio. Itaque si qua pars paulò insignior & euidētior tollatur, non iam eædem dici solent. Quanquam in ijs etiam quæ pubescunt, & augescunt, animi qui dat uitam qua vigent, ratio ducitur. Nam vt primū pubescere, & viuere desinunt, aliæ esse dicuntur. Eas autem reliquarum categoriarum attributa, nullo modo alias reddunt. Immutatæ enim & commutatæ dicuntur, nō aliæ propriè. Itaque has omnes quasi differentias Por

phyrius non aliud facere, sed solum commutare dicit. Ac de his quidem rebus quæ per se cohærent, hoc sentiendum est. De ijs autem quæ non per se constant, sed solum in superioribus naturis inhærent, cuiusmodi accidentia vocantur, non eodē modo iudicare possumus. Relationum enim quæ re ipsa sunt, nullæ sunt partes. Reliquorum etiam generum quanquam ferè partibus constant, vt magnitudines, & numeri, vt qualitates & actiones, tamen alia ratio est. Nam actiones, uoces & tempora quoniam effluunt ac labuntur continenter, nunquam eadem re ipsa permanent. Numeri etiam non solum reipsa, sed specie etiam vnius, id est vnitatis tum adiectione, tum detractione differunt. Qualitates verò quæ sunt à natura susceptæ, in animis nostris semper eædem manent. Quæ autem studio nostro comparantur, vt virtutes, vitia, & artes eædem vsq; ad interitum suum perseuerant. Quanquam has & reliquas ex maiore parte iudicari spectariq́ue nihil absurdum est. Magnitudines autem ad rerum earum quæ sensus expertes sunt, aut illæ potius ad harum normā qua ex parte magnitudo spectatur sunt dirigēdæ. Ac mihi quidem naturæ in his habenda ratio videtur. Sūt enim quædam quæ natura sua crescunt, vt lapides, vt ferrum, vt reliqua quæ metalla dicūtur. Neque enim dubium est, quin ea quæ sunt eius generis, cum à primo ortu perexigua sint, maneant eadem, & primā naturam suam statumq́ue retineant, cum ad eam magni-

tudinem quam eis naturæ lex præscripsit, peruenerint. In detractione autem maioris partis, dum multo præstet, habendam rationem esse existimo. Maior enim pars in his ad totum eandem rationem habere videtur, quàm in homine partes necessariæ. Vt enim si caput homini præcidatur, iam alius est: ita si maior pars aut etiam media eique proxima auferatur, alia natura esse dicetur. Nam qua ex parte magnitudo est, alia uidetur esse simul atque aliquid certi detractũ est. Reliqua sunt nobis quæstionum genera, id quo quæritur, Sitne id de quo agitur, & cuius sit proprium: & id quo quæritur, An sit aliquid & cuius sit accidens. Primum de proprij, quoniam rei magis conuenit, quæstione dicamus. Proprij autem quatuor genera ponit Aristoteles, vnum quod per se ac vi sua est: alterum quod cõparatè: tertium quod semper est: quartũ quod ad aliquod tempus est proprium. Simpliciter ac ui sua id proprium est, quod omnibus eiusdẽ generis aut speciei tribuitur, & ab omni alio genere & specie separat, vt hominis proprium est animal esse natum ad scientiam. Id enim in omnes homines cadit, eósq; à cæteris separat. Comparatè autem id proprium est, quod non ab omnibus secernit, sed ab eo vno cui comparatur, vt si conferas hominem cum beluis, & illius dicas proprium prospicere rebus futuris: beluarum, ferè præsentium sensum habere. Semper propriũ est quod semper conuenit, nec vnquam amittitur, vt animal ex

animo & corpore constare. Aliquando id proprium est, quod ad aliquod solum tempus conuenit, ut hominis est in senectute canescere. Propria rursus alia uno uerbo, alia pluribus explicantur. Vno uerbo, ut hominis ridens proprium est: pluribus, ut eiusdem proprium est hoc totum, animal quod aptum animum habet ad uirtutes recipiẽdas. Hoc autẽ loco de eo proprio disputandum est, quod à principio definiuimus. Cuius pars sunt quædam ea quæ pluribus uerbis exprimuntur. Ac ea quidem genus complecti debent quod in naturæ quæstione dicatur, ut Aristoteli placet. Quoniam autem, nec hoc ipse obseruat in tradendis proprijs, nec facere commode possumus, satis erit si uerbis illustrioribus & notioribus quàm eã sint quorum sunt propria, explicabũtur. Ex quo perspicuũ est, qui loci in huius generis quæstionem sint accommodati. Omnes enim qui definitionis sunt, qua parte nihil in ea deesse aut redundare, & ipsa uerbis magis perspicuis constare debet, quàm sit id quod definitur, huius etiã sunt proprij. Communes autẽ loci ex cõtrarijs, ex coniugatis, ex similitudine, ex maiore, minore, & pari, nõ solùm in hanc, sed etiam in definitionis, & in accidentis quæstionem conuenient eodẽ modo tractati, quo in generis quæstionibus tractari dixi oportere. Proprius autẽ erit is maximè, qui à definitione sumetur ea quam initio libri superioris explicaui. Ex quo etiam locus antecedentiũ ducitur. Si proprium est, reciprocatur: non reciprocatur autem: non est

igitur eius proprium. Ex repugnantibus, Si propriũ est, in quæstione quid est non dicitur: Atqui dicitur: Non igitur est proprium. Rursus ex consequentibus, Si proprium est, semper conuenit: Non autem semper cõuenit: Non igitur proprium est. Ex forma etiam erit hic locus proprius in refutatione, Si hominis proprium nõ est qua ex parte homo est, uigilare, hominis uigilare proprium non est. Vtile etiam erit ex generis, speciei, differentiæ, & accidentis definitionibus, id quod alicuius proprium esse dicitur, non esse ostendere. Quod in cæteris quoque obseruandum est. Cum autem hæc quæstio ponitur, Sitne accidens id quod propositum est eius cui tribuatur (quam quæstionem ab Aristotele prætermissam miror, cum præsertim reliquorũ trium quæstiones huiusmodi explicauerit) primum loci communes similitudinis, contrariorum, coniugatorum, maioris, minoris, & paris in eam adhibendi erunt, eorúmque ea forma erit, quam in quæstione generis exposui. Deinde reliqui fere omnes qui in ijs quæstionibus, quibus omnino quæritur, Sit'ne hoc illud? à nobis explicati sunt. Nam cum fere omnes locos eiusmodi in quæstiones accidẽtis incurrere docuerim, hoc nõ debet esse dubium, quin si nomen accidentis tam in quæstionibus, quàm in argumentis collocemus, ad hãc quæstionẽ transferri poßint. Postremo proprij erunt huius quæstionis loci, definitionis, enumerationis partium, repugnantium. Definitionis, ut si illius accidẽs est, potest in eo inesse, uel abesse sine eius interi-

tu: Nō potest autem: Non igitur est eius accidens. In cōfirmatione quoque firmum est, Si potest in eo inesse & non inesse saluo & manente in rerum natura, eius est accidens: Primum autem est: Secūdum igitur. Ab enumeratione autem hoc modo, Si nec accidens est eius separabile, nec inseparabile, nō est eius accidens: Primum autem abest: Secundum igitur. In confirmatione autem hoc modo, Si separabile est aut inseparabile eius accidens, est illius accidens: Primum autem est: Secūdum igitur. Ex quo etiam argumentum ex forma elici potest solum in cōfirmatione, Si inseparabile eius accidens est, eius est accidens: Primum autem est: Secundum igitur. Ex repugnantibus in refutatione hoc modo, Si in quæstione quid est de illo dicitur, non est eius accidens: In quæstione autem quid est de eo dicitur: Non igitur eius accidens est. Rursus si accidens eius est, nō reciprocatur. A definitione etiam generis & reliquorum, locus repugnantium tractabitur, hoc modo, Non & de hoc ac de multis specie differentibus in quæstione naturæ dicitur, & de hoc ac de multis specie aut numero differentibus, in quæstione qualitatis: De hoc autem & de multis specie differentibus in naturæ quæstione dicitur: Non igitur in qualitatis quæstione. Ita nō est eius accidens, sed genus. ut si quis candoris, aut nigroris colorem accidens statuat. Proprius etiam locus erit accidentis, si quid alicuius esse accidens ponatur, quod nō est alterius quod idem ualet. ut si quis eius quod expetendum est

accidens dicat esse, bonum esse id refellетur hoc modo, Si idē ualent quod expetendū est & quod persequendum: nec eius quod persequendum est, accidens bonum est: ne eius quidem quod expetendum est erit. Locus communis, Eorūdem quatenus eadem sunt, eadem sunt accidentia. Qui etiam ad proprium trāsferri potest. Cum autē & id quod ponitur esse accidens, & id cuius accidens esse statuitur in numero habentur accidentium, & in diuersis partibus utrunque situm est, ut si quis metum uerecundiæ accidens esse ponat, refellетur hoc modo, Si metus in ea animi parte situs est in qua ira uersatur: & uerecundia in ea parte quæ rationis est particeps: non est metus uerecundiæ accidens. Ac de accidentis, reliquorúmque trium quæstionibus, ijsque locis qui in eas adhiberi possunt, satis dictum est.

Quoniam autem principio huius libri ita locos diuisimus, ut [illegible] diceremus in eo de quo ageretur, inhærere, d[illegible] solū satis multa mihi dixisse uideor, [illegible] quāq; quæstionem accommodari pos[illegible]rtis expertes esse, de his aliquid dicen[illegible]d absoluendu[illegible] ex parte suscepi[illegible] reliquisse [illegible]ntelligendum est [illegible] etiā genus s[illegible] omneis cōtinere. [illegible] eorū quos [illegible]us, uel aduersarij, [illegible]ate nitantu[illegible] auctoritas in defi[illegible]us, diuisi[illegible], coniugatis, generi[illegible]mis, alij[illegible]is aut sententijs pro-

ferēdis pondus habeat, certè per illud superius locorum genus hoc fundatur necesse est. Quòd si hoc semper plurimum ad fidem faciendam ualuit, eorum qui ijs quibus cum disputatur, uel propter uirtutē, uel propter excellentem rerum cognitionem & usum, probati sunt, non solum argumenta, sed etiam dicta factáque omnia, aut multò antè, aut cū opus est colligere, ac quasi in prōptu & numerato habere: profectò multo id plus poterit his tēporibus, quibus omnes ferè qui se alicui studio dedūt, aliquem habent auctorem, cuius in disputando decreta defendant. Quò libentius quid de hoc toto genere sentiam, dicam. Hæc ergo argumētatio, ut Ciceroni placet, tota in testimonio posita est. Testimonium autem est, ut eidem placet, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Sed quoniam non qualiscunq; hominis testimonium graue est, ob eam causam auctoritas quæritur. Ea uel in arte inest, uel in usu, uel in uirtute. sed hæc omnia confirmat antiquitas. Neq; enim tantùm nouis quanuis doctißimis, quantū ueteribus minus fortasse aut doctis aut bonis, tribui solet. Tantùm ualet hominū qui antè fuerūt à posteris cōsequentibus tēporibus probata sententia. Sed hoc mihi inter uirtutē & artē [illegible]c loco interesse uidetur, quòd uirtuti habēda est fides [illegible] potißimū in rebus, quæ ad uitam & mores, ad ex[illegible]tendum & fugiendū pertinent: in ijs autem quæ sciē[illegible] cognitione cernuntur, uirtuti est ars anteponen[illegible] òd si mixta fuerit uirtuti doctrina, plus coniūctæ

accidens dicat esse, bonum esse id refelletur hoc modo, Si idẽ ualent quod expetendũ est & quod persequendum: nec eius quod persequendum est, accidens bonum est: ne eius quidem quod expetendum est erit. Locus communis, Eorũdem quatenus eadem sunt, eadem sunt accidentia. Qui etiam ad proprium trãsferri potest. Cum autẽ & id quod ponitur esse accidens, & id cuius accidens esse statuitur in numero habentur accidentium, & in diuersis partibus utrunque situm est, ut si quis metum uerecundiæ accidens esse ponat, refelletur hoc modo, Si metus in ea animi parte situs est in qua ira uersatur: & uerecundia in ea parte quæ rationis est particeps: non est metus uerecundiæ accidens. Ac de accidentis, reliquorúmque trium quæstionibus, ijsque locis qui in eas adhiberi possunt, satis dictum est.

Quoniam autem principio huius libri ita locos diuisimus, ut alios diceremus in eo de quo ageretur, inhærere, de quibus nõ solũ satis multa mihi dixisse uideor, sed etiam qui ad quãq; quæstionem accommodari possent docui: alios artis expertes esse, de his aliquid dicendum est, ne quod absoluendum aliqua ex parte suscepimus, inchoatum reliquisse uideamur. Intelligendum est autem, hoc etiã genus superiores locos omneis cõtinere. Nam cùm eorũ quos uel ipsi probamus, uel aduersarij, auctoritate nitantur, illorum autem auctoritas in definitionibus, diuisionibus, notationibus, coniugatis, generibus, formis, alijsq; locis ex eorũ libris aut sententijs pro-

ferẽdis pondus habeat, certè per illud ſuperius locorum genus hoc fundatur neceſſe eſt. Quòd ſi hoc ſemper plurimum ad fidem faciendam ualuit, eorum qui ijs quibus cum diſputatur, uel propter uirtutẽ, uel propter excellentem rerum cognitionem & uſum, probati ſunt, non ſolum argumenta, ſed etiam dicta factáque omnia, aut multò antè, aut cũ opus eſt colligere, ac quaſi in prõptu & numerato habere: profectò multo id plus poterit his tẽporibus, quibus omnes ferè qui ſe alicui ſtudio dedũt, aliquem habent auctorem, cuius in diſputando decreta defendant. Quò libentius quid de hoc toto genere ſentiam, dicam. Hæc ergo argumẽtatio, ut Ciceroni placet, tota in teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem eſt, ut eidem placet, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Sed quoniam non qualiſcunq; hominis teſtimonium graue eſt, ob eam cauſam auctoritas quæritur. Ea uel in arte ineſt, uel in uſu, uel in uirtute. ſed hæc omnia confirmat antiquitas. Neq; enim tantùm nouis quamuis doctiſſimis, quantũ ueteribus minus fortaſſe aut doctis aut bonis, tribui ſolet. Tantùm ualet hominũ qui antè fuerũt à poſteris cõſequentibus tẽporibus approbata ſententia. Sed hoc mihi inter uirtutẽ & artẽ hoc loco intereſſe uidetur, quòd uirtuti habẽda eſt fides ijs potiſſimũ in rebus, quæ ad uitam & mores, ad expetendum & fugiendũ pertinent: in ijs autem quæ ſciẽtia & cognitione cernuntur, uirtuti eſt ars anteponenda. Quòd ſi mixta fuerit uirtuti doctrina, plus coniũctæ

quàm alterutra, ualebunt. Vsus autem arte præpõderat ijs in rebus quæ usu magis, quàm præceptis diriguntur, nisi forte in arte etiam usus uel mediocris reperiatur. His ita constitutis, iam quæ huius generis locorum sit forma, uideamus. Ea est duplex. nam quod ex aliorum sententia tum defendimus, tum improbamus, id uel nudum omnibus argumentis est, uel argumento constat. Argumento autem constat uel informato, uel perfecto. Sine argumento est, ut si dicam hoc modo: Homo est magnus, uel albus. Neque enim ullo argumento hoc totum constat. Argumento constat informato, ut si dicam, Homo est animal rationis particeps mortale. hoc enim quoddam est informatum argumentum. Sic enim perficietur, Animal est rationis particeps mortale, Homo igitur est. Perfecto autẽ constat argumento, id quod ab alijs sumimus, cum ipsa argumenta quæ literis mandata sunt uel ab illis uel ab alijs, proferimus. Commune autem est eorũ omnium, siue ad probãdum, siue ad refellendum adhibeantur, eorum quorum sint inuenta, cõfirmari auctoritatibus. Vt si quis hoc totum dicat plenam esse hominis definitionem, Animal rationis particeps: refellendus erit hoc pacto, Homo est animal rationis particeps mortale. Aristoteles enim sic hominem definit & definiendũ præcipit. Aut ad formam argumẽtationis erit reuocandũ hoc pacto, Si Aristoteles hominem & definit, & definiẽdum præcipit, hoc modo, Animal rationis particeps mortale, nõ est illa plena ho-

minis definitio, in qua mortale abest. Aristoteles autem ita & definit, & definiendum præcipit. Non igitur illa plena & perfecta hominis definitio est. Commune etiã est duorum primorũ generum, in ijs exquiri ueritatem, hominis confirmatam auctoritate. In eo autem quod perfecta argumentatione constat, nõ tam ueritas, quàm conclusionis natura exquiritur. Nam cum sumptiones ueræ ne sint an falsæ, spectatur interdum, tum ijs ne cõcessis sequatur conclusio, quorum utrunque non iam ex sola rerum natura, sed ex eius etiã cuius id esse dicitur auctoritate, ponderari solet. In quo tamen sæpe ea incidit animorum distractio, ut cum hinc nostra nos sentẽtia quæ naturæ consentanea uidetur, illinc auctoritatis pondus ad se trahat, potiùs auctoritatem eleuemus, aut sententiam interpretemur, aut interdum ita scriptum ab eo cuius auctoritas opponitur, negemus, quàm nos de sententia deijci facile patiamur. ut necesse sit alios interdum descripta argumenta, aut etiam libros afferre, quò faciliùs quasi uiua uoce nos poßint refellere, si contrà dicimus. Quæ res etsi adeo difficilis est, totque ac tantis quasi tempestatibus opportuna, tamẽ, quia utilis est uel maximè, retinenda & excolenda est. atque eò magis quòd Aristoteles, initio ut dixi, dialecticã totam in rebus ijs quæ uel omnibus probentur, uel plurimis, uel sapientibus aut omnibus, aut plurimis, aut probatis positã esse confirmat. Itaque huic generi tantum tribuit, ut in quatuor ijs, quæ plurimum ualere iudicat ad faciendam

fidem, ei locum reliquerit. Quod autē paulò antè dixi, hoc genus fusum esse per omnes argumentorū locos, id facile est ad probandum. Sumpta enim ab alijs argumēta, quæ illi ex ijs locis quos enumeraui & exposui, duxerint, & proferre si sit opus, & si negentur, eorū auctoritate confirmare possumus. Itaque in hoc genere perutile erit, argumenta quæcunque poterimus diuturna lectione eorum scriptorum, qui ponderis aliquid habebunt, notare: notata in suo quodque ordine pro rei de qua agetur natura describere: ut cum erit opus, ea quēadmodum iam dixi: uel pro nostris, si probentur, uel pro alienis, si repudientur, proferamus. In quo permultorum siue neglıgentiam, siue inertiam, siue tarditatem reprehendere licet: qui cum multa legerint, uix tamen argumentum ullum, nisi forte similitudinis, definitionis, maioris, & minoris, possunt nominare. Quocirca siue negent argumentum firmum esse ij qui respondent, siue probent ij qui contra disputant, nihil aliud habent in ore totos dies, nisi non esse aut esse ratiocinationem, siue syllogismum: quasi uerò nullus sit inuentioni locus, aut nominato loco unde argumentum ducatur, id si negetur, non sit tandem ad ratiocinationis definitionem reuocanda disputatio. Nam si argumentatio sit ne uera ex ratiocinationis solū definitione spectandum est, isto pacto nullus erit usus locorum. Atque etiam, ut ad propositum reuertar, utile erit eūdem laborem & studium ponere in ijs eligēdis quæ sola ueri cognitione di-

xi contineri, cuiusmodi sunt solæ enunciationes & sententiæ. Harum autem descriptiones & quasi tabulæ ab alteris separandæ erunt, ne forte confusa illa moles uel quærendo uel inueniendo nos retardet, uel hærere cogat in proferendo. Mihi ordo ille probatur maximè, qui tribus quæstionum generibus erit consentaneus, ut primo loco ea quæ ad expetendum & fugiendum: secundo ea quæ ad dialecticam. tertio ea quæ ad naturæ rationem pertinebunt, collocemus. Vnumquodque eorum rursus in suas partes diuidemus, in genera, in definitiones, in propria, & in accidentia. Generum tres ordines instituemus, generum, differentiarum, atque formarum. Definitionum quatuor, pro quatuor causarū generibus. Propriorum duos, unum eorum quæ uno uerbo, alterum eorum quæ pluribus uerbis explicantur. Accidentium duos, unum earū enunciationum quibus res simpliciter, & per se cōsideramus, alterum earum quibus res inter se comparamus. Quanquam facilior erit & magis in promptu, & ad nostrum institutū aptior, hæc posterior, si sola retineatur. Quòd si cui superior probetur, aptiùs illa sequetur, hæc antecedet. Scriptorum nomina ascribenda erunt, ne labor frustra susceptus esse uideatur. Hæc duo si sequamur, tum maiorem fructū studiorum capiemus, tum ad disserēdum de quaque re & nostri, & aliorum ingenij inuentis freti ueniemus paratiores.

tudinem quam eis naturæ lex præscripsit, peruenerint. In detractione autem maioris partis, dum multo præstet, habendam rationem esse existimo. Maior enim pars in his ad totum eandem rationem habere videtur, quàm in homine partes necessariæ. Vt enim si caput homini præcidatur, iam alius est: ita si maior pars aut etiam media eique proxima auferatur, alia natura esse dicetur. Nam qua ex parte magnitudo est, alia uidetur esse simul atque aliquid certi detractũ est. Reliqua sunt nobis quæstionum genera, id quo quæritur, Sit ne id de quo agitur, & cuius sit proprium: & id quo quæritur, An sit aliquid & cuius sit accidens. Primum de proprij, quoniam rei magis conuenit, quæstione dicamus. Proprij autem quatuor genera ponit Aristoteles, vnum quod per se ac vi sua est: alterum quod cõparatè: tertium quod semper est: quartũ quod ad aliquod tempus est proprium. Simpliciter ac ui sua id proprium est, quod omnibus eiusdẽ generis aut speciei tribuitur, & ab omni alio genere & specie separat, vt hominis proprium est animal esse natum ad scientiam. Id enim in omnes homines cadit, eósq; à cæteris separat. Comparatè autem id proprium est, quod non ab omnibus secernit, sed ab eo vno cui comparatur, vt si conferas hominem cum beluis, & illius dicas proprium prospicere rebus futuris: beluarum, ferè præsentium sensum habere. Semper propriũ est quod semper conuenit, nec vnquam amittitur, vt animal ex

animo & corpore constare. Aliquando id proprium est, quod ad aliquod solum tempus conuenit, ut hominis est in senectute canescere. Propria rursus alia uno uerbo, alia pluribus explicantur. Vno uerbo, ut hominis ridens proprium est: pluribus, ut eiusdem proprium est hoc totum, animal quod aptum animum habet ad uirtutes recipiẽdas. Hoc autẽ loco de eo proprio disputandum est, quod à principio definiuimus. Cuius pars sunt quædam ea quæ pluribus uerbis exprimuntur. Ac ea quidem genus complecti debent quod in naturæ quæstione dicatur, ut Aristoteli placet. Quoniam autem, nec hoc ipse obseruat in tradendis proprijs, nec facere commodè possumus, satis erit si uerbis illustrioribus & notioribus quàm eã sint quorum sunt propria, explicabũtur. Ex quo perspicuũ est, qui loci in huius generis quæstionem sint accommodati. Omnes enim qui definitionis sunt, qua parte nihil in ea deesse aut redundare, & ipsa uerbis magis perspicuis constare debet, quàm sit id quod definitur, huius etiã sunt proprij. Communes autẽ loci ex cõtrarijs, ex coniugatis, ex similitudine, ex maiore, minore, & pari, nõ solùm in hanc, sed etiam in definitionis, & in accidentis quæstionem conuenient eodẽ modo tractati, quo in generis quæstionibus tractari dixi oportere. Proprius autẽ erit is maximè, qui à definitione sumetur ea quam initio libri superioris explicaui. Ex quo etiam locus antecedentiũ ducitur. Si proprium est, reciprocatur: non reciprocatur autem: non est

igitur eius proprium. Ex repugnantibus, Si propriũ est, in quæstione quid est non dicitur: Atqui dicitur: Non igitur est proprium. Rursus ex consequentibus, Si proprium est, semper conuenit: Non autem semper cõuenit: Non igitur proprium est. Ex forma etiam erit hic locus proprius in refutatione, Si hominis proprium nõ est qua ex parte homo est, uigilare, hominis uigilare proprium non est. Vtile etiam erit ex generis, speciei, differentiæ, & accidentis definitionibus, id quod alicuius proprium esse dicitur, non esse ostendere. Quod in cæteris quoque obseruandum est. Cum autem hæc quæstio ponitur, Sitne accidens id quod propositum est eius cui tribuatur (quam quæstionem ab Aristotele prætermissam miror, cum præsertim reliquorũ trium quæstiones huiusmodi explicauerit) primum loci communes similitudinis, contrariorum, coniugatorum, maioris, minoris, & paris in eam adhibendi erunt, eorúmque ea forma erit, quam in quæstione generis exposui. Deinde reliqui fere omnes qui in ijs quæstionibus, quibus omnino quæritur, Sit'ne hoc illud? à nobis explicati sunt. Nam cum fere omnes locos eiusmodi in quæstiones accidẽtis incurrere docuerim, hoc nõ debet esse dubium, quin si nomen accidentis tam in quæstionibus, quàm in argumentis collocemus, ad hãc quæstionẽ transferri possint. Postremo proprij erunt huius quæstionis loci, definitionis, enumerationis partium, repugnantium. Definitionis, ut si illius accidẽs est, potest in eo inesse, uel abesse sine eius interi-

tu: Nō potest autem: Non igitur est eius accidens. In cōfirmatione quoque firmum est, Si potest in eo inesse & non inesse saluo & manente in rerum natura, eius est accidens: Primum autem est: Secūdum igitur. Ab enumeratione autem hoc modo, Si nec accidens est eius separabile, nec inseparabile, nō est eius accidens: Primum autem abest: Secundum igitur. In confirmatione autem hoc modo, Si separabile est aut inseparabile eius accidens, est illius accidens: Primum autem est: Secūdum igitur. Ex quo etiam argumentum ex forma elici potest solum in cōfirmatione, Si inseparabile eius accidens est, eius est accidens: Primum autem est: Secundum igitur. Ex repugnantibus in refutatione hoc modo, Si in quæstione quid est de illo dicitur, non est eius accidens: In quæstione autem quid est de eo dicitur: Non igitur eius accidens est. Rursus si accidens eius est, nō reciprocatur. A definitione etiam generis & reliquorum, locus repugnantium tractabitur, hoc modo, Non & de hoc ac de multis specie differentibus in quæstione naturæ dicitur, & de hoc ac de multis specie aut numero differentibus, in quæstione qualitatis: De hoc autem & de multis specie differentibus in naturæ quæstione dicitur: Non igitur in qualitatis quæstione. Ita nō est eius accidens, sed genus. ut si quis candoris, aut nigroris colorem accidens statuat. Proprius etiam locus erit accidentis, si quid alicuius esse accidens ponatur, quod nō est alterius quod idem ualet. ut si quis eius quod expetendum est

accidens dicat esse, bonum esse id refelletur hoc modo, Si idē ualent quod expetendū est & quod persequendum: nec eius quod persequendum est, accidens bonum est: ne eius quidem quod expetendum est erit. Locus communis, Eorūdem quatenus eadem sunt, eadem sunt accidentia. Qui etiam ad proprium trāsferri potest. Cum autē & id quod ponitur esse accidens, & id cuius accidens esse statuitur in numero habentur accidentium, & in diuersis partibus utrunque situm est, ut si quis metum uerecundiæ accidens esse ponat, refelletur hoc modo, Si metus in ea animi parte situs est in qua ira uersatur: & uerecundia in ea parte quæ rationis est particeps: non est metus uerecundiæ accidens. Ac de accidentis, reliquorúmque trium quæstionibus, ijsque locis qui in eas adhiberi possunt, satis dictum est.

Quoniam autem principio huius libri ita locos diuisimus, ut alios diceremus in eo de quo ageretur, inhærere, de quibus nō solū satis multa mihi dixisse uideor, sed etiam qui ad quāq; quæstionem accommodari possent docui: alios artis expertes esse, de his aliquid dicendum est, ne quod absoluendum aliqua ex parte suscepimus, inchoatum reliquisse uideamur. Intelligendum est autem, hoc etiā genus superiores locos omneis cōtinere. Nam cùm eorū quos uel ipsi probamus, uel aduersarij, auctoritate nitantur, illorum autem auctoritas in definitionibus, diuisionibus, notationibus, coniugatis, generibus, formis, alijsq; locis ex eorū libris aut sententijs pro-

ferēdis pondus habeat, certè per illud superius locorum genus hoc fundatur necesse est. Quòd si hoc semper plurimum ad fidem faciendam ualuit, eorum qui ijs quibus cum disputatur, uel propter uirtutē, uel propter excellentem rerum cognitionem & usum, probati sunt, non solum argumenta, sed etiam dicta factáque omnia, aut multò antè, aut cū opus est colligere, ac quasi in prōptu & numerato habere: profectò multo id plus poterit his tēporibus, quibus omnes ferè qui se alicui studio dedēt, aliquem habent auctorem, cuius in disputando decreta defendant. Quò libentius quid de hoc toto genere sentiam, dicam. Hæc ergo argumētatio, ut Ciceroni placet, tota in testimonio posita est. Testimonium autem est, ut eidem placet, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Sed quoniam non qualiscunq; hominis testimonium graue est, ob eam causam auctoritas quæritur. Ea uel in arte inest, uel in usu, uel in uirtute. sed hæc omnia confirmat antiquitas. Neq; enim tantùm nouis quamuis doctissimis, quantū ueteribus minus fortasse aut doctis aut bonis, tribui solet. Tantùm ualet hominū qui antè fuerūt à posteris cōsequentibus tēporibus approbata sententia. Sed hoc mihi inter uirtutē & artē hoc loco interesse uidetur, quòd uirtuti habēda est fides ijs potissimū in rebus, quæ ad uitam & mores, ad expetendum & fugiendū pertinent: in ijs autem quæ sciētia & cognitione cernuntur, uirtuti est ars anteponenda. Quòd si mixta fuerit uirtuti doctrina, plus coniūctæ

quàm alterutra, ualebunt. Vsus autem arte præpōderat ijs in rebus quæ usu magis, quàm præceptis diriguntur, nisi forte in arte etiam usus uel mediocris reperiatur. His ita constitutis, iam quæ huius generis locorum sit forma, uideamus. Ea est duplex. nam quod ex aliorum sententia tum defendimus, tum improbamus, id uel nudum omnibus argumentis est, uel argumento constat. Argumento autem constat uel informato, uel perfecto. Sine argumento est, ut si dicam hoc modo: Homo est magnus, uel albus. Neque enim ullo argumento hoc totum constat. Argumento constat informato, ut si dicam, Homo est animal rationis particeps mortale. hoc enim quoddam est informatum argumentum. Sic enim perficietur, Animal est rationis particeps mortale, Homo igitur est. Perfecto autē constat argumento, id quod ab alijs sumimus, cum ipsa argumenta quæ literis mandata sunt uel ab illis uel ab alijs, proferimus. Commune autem est eorū omnium, siue ad probādum, siue ad refellendum adhibeantur, eorum quorum sint inuenta, cōfirmari auctoritatibus. Vt si quis hoc totum dicat plenam esse hominis definitionem, Animal rationis particeps: refellendus erit hoc pacto, Homo est animal rationis particeps mortale. Aristoteles enim sic hominem definit & definiendū præcipit. Aut ad formam argumētationis erit reuocandū hoc pacto, Si Aristoteles hominem & definit, & definiēdum præcipit, hoc modo, Animal rationis particeps mortale, nō est illa plena ho-

minis definitio, in qua mortale abest. Aristoteles autem ita & definit, & definiendum præcipit. Non igitur illa plena & perfecta hominis definitio est. Commune etiã est duorum primorũ generum, in ijs exquiri ueritatem, hominis confirmatam auctoritate. In eo autem quòd perfecta argumentatione constat, nõ tam ueritas, quàm conclusionis natura exquiritur. Nam cum sumptiones ueræ ne sint an falsæ, spectatur interdum, tum ijs ne cõcessis sequatur conclusio, quorum utrunque non iam ex sola rerum natura, sed ex eius etiã cuius id esse dicitur auctoritate, ponderari solet. In quo tamen sæpe ea incidit animorum distractio, ut cum hinc nostra nôs sententia quæ naturæ consentanea uidetur, illinc auctoritatis pondus ad se trahat, potiùs auctoritatem eleuemus, aut sententiam interpretemur, aut interdum ita scriptum ab eo cuius auctoritas opponitur, negemus, quàm nos de sententia deijci facilè patiamur. ut necesse sit alios interdum descripta argumenta, aut etiam libros afferre, quò faciliùs quasi uiua uoce nos poßint refellere, si contrà dicimus. Quæ res etsi adeo difficilis est, totque ac tantis quasi tempestatibus opportuna, tamẽ, quia utilis est uel maximè, retinenda & excolenda est. atque eò magis quòd Aristoteles, initio ut dixi, dialecticã totam in rebus ijs quæ uel omnibus probentur, uel plurimis, uel sapientibus aut omnibus, aut plurimis, aut probatis positã esse confirmat. Itaque huic generi tantum tribuit, ut in quatuor ijs, quæ plurimum ualere iudicat ad faciendam

fidem, si locum reliquerit. Quod autẽ paulò antè dixi, hoc genus fusum esse per omnes argumentorũ locos, id facile est ad probandum. Sumpta enim ab alijs argumẽta, quæ illi ex ijs locis quos enumeraui & exposui, duxerint, & proferre si sit opus, & si negentur, eorũ auctoritate confirmare possumus. Itaque in hoc genere perutile erit, argumenta quæcunque poterimus diuturna lectione eorum scriptorum, qui ponderis aliquid habebunt, notare: notata in suo quodque ordine pro rei de qua agetur natura describere: ut cum erit opus, ea quẽadmodum iam dixi: uel pro nostris, si probentur, uel pro alienis, si repudientur, proferamus. In quo permultorum siue negligentiam, siue inertiam, siue tarditatem reprehendere licet: qui cum multa legerint, uix tamen argumentum ullum, nisi forte similitudinis, definitionis, maioris, & minoris, possunt nominare. Quocirca siue negent argumentum firmum esse ij qui respondent, siue probent ij qui contra disputant, nihil aliud habent in ore totos dies, nisi non esse aut esse ratiocinationem, siue syllogismum: quasi uerò nullus sit inuentioni locus, aut nominato loco unde argumentum ducatur, id si negetur, non sit tandem ad ratiocinationis definitionem reuocanda disputatio. Nam si argumentatio sit ne uera ex ratiocinationis solũ definitione spectandum est, isto pacto nullus erit usus locorum. Atque etiam, ut ad propositum reuertar, utile erit eũdem laborem & studium ponere in ijs eligẽdis quæ sola ueri cognitione di-

xi contineri, cuiuſmodi ſunt ſolæ enunciationes & ſentẽtiæ. Harum autem deſcriptiones & quaſi tabulæ ab alteris ſeparandæ erunt, ne forte confuſa illa moles uel quærendo uel inueniendo nos retardet, uel hærere cogat in proferendo. Mihi ordo ille probatur maximè, qui tribus quæſtionum generibus erit conſentaneus, ut primo loco ea quæ ad expetendum & fugiendum: ſecundo ea quæ ad dialecticam. tertio ea quæ ad naturæ rationem pertinebunt, collocemus. Vnumquodque eorum rurſus in ſuas partes diuidemus, in genera, in definitiones, in propria, & in accidentia. Generum tres ordines inſtituemus, generum, differentiarum, atque formarum. Definitionum quatuor, pro quatuor cauſarũ generibus. Propriorum duos, unum eorum quæ uno uerbo, alterum eorum quæ pluribus uerbis explicantur. Accidentium duos, unum earũ enunciationum quibus res ſimpliciter, & per ſe cõſideramus, alterum earum quibus res inter ſe comparamus. Quanquam facilior erit & magis in promptu, & ad noſtrum inſtitutũ aptior, hæc poſterior, ſi ſola retineatur. Quòd ſi cui ſuperior probetur, aptiùs illa ſequetur, hæc antecedet. Scriptorum nomina aſcribenda erunt, ne labor fruſtra ſuſceptus eſſe uideatur. Hæc duo ſi ſequamur, tum maiorem fructũ ſtudiorum capiemus, tum ad diſſerẽdum de quaque re & noſtri, & aliorum ingenij inuentis freti ueniemus paratiores.

IOACHIMI PERIONII BEnedictini Cormœriaceni de Dialectica LIBER III.

Expositis ijs omnibus quæ ad inuentionem locorum pertinebant, eo ordine qui est naturæ maximè consentaneus (nam primum quid incideret in disputationem docui: deinde à minutissima quaque parte orsus earum quibus ratiocinatio constaret, ad maiores progrediẽdo, locos nõ solũ exposui, sed etiam ad quanque accommodaui quæstionem) restat altera pars instituti nostri, in qua nos de altera dialecticæ parte quæ iudicium vocatur, dicturos esse polliciti sumus. Hæc quidem pars quàm sit necessaria, hinc sciri potest, quòd cum non satis sit reperire argumenta, nisi ea tractare possis: inuentionis illud est modo, hoc iudicij propriũ. Est enim iudicium, argumentorum quæ inuenta sunt ordine certo collocandorum scientia. Vtriusque imaginem quandam & simulacrũ in architectura intueri possumus. Si quis paterfamiliâs ædificare domum instituat, is primum lapides, lateres, ligna, calcem, aliáque eius generis parabit, ac ferè ex vnoquoque cumulum extruet: tum architectum adhibebit qui hæc omnia arte elaborata & expolita inter se aptè suis quicque locis iungat atque collocet.

Iudiciũ

Primæ illi futuri operis præparationi similis est inuẽtio: Absolutioni autem & horum omnium aptæ compositiõi iudicium respõdet. Quæ cum ita sint, iam quot modis argumẽta quæ exposuimus, tractari, disponiq́; possint, consideremus. Principio libri superioris duo argumentationum genera esse dixi, quibus dialectici uterentur, ratiocinationem, & inductionem. Ratiocinatio est oratio, quæ quibusdã cõcessis aliud ex ijs necessariò efficit atque cõcludit. Inductio est oratio, quæ ex rebus singulis progrediens ad res vniuersas peruenit. Quemadmodum autem enunciationis, sic ratiocinationis duo sunt genera prima: vnum simplex dicitur, quod constat ex simplicibus enunciatis. Alterum copulatum & coniunctum, quod ex copulatis enunciationibus constat. Superioris generis exemplum est huiusmodi, Si quæratur, Sitne iustitia habitus? Omnis uirtus est habitus: Omnis iustitia est virtus: Omnis igitur iustitia est habitus. Hoc argumentum à forma attributi ducitur, cuius est locus communis, Cui forma conuenit, & genus cõuenire oportet. Virtus enim forma est quædam habitus: quæ quoniam iustitiæ cõuenit, ei etiã habitus conueniat necesse est. Posterioris autem exemplum est tale, Si iustitia est virtus, iustitia habitus est: Iustitia autẽ uirtus est: habitus igitur est iustitia. In hoc secũdo genere multo est is locus vnde argumentũ ducitur, euidentior. Cicero quidem & Stoici, his duobus ratiocinationis generibus vtuntur. Aristoteles autem

Ratiocinatio
Inductio

superius modo tractauit, eiusque præcepta tradidit: posterius totum reliquit ipse. Theophrastus autem & Eudemus peripatetici, vt Boethius scribit, persecuti sunt. Nos etiam vtrunque quoniam magnas habet cōmoditates, multumque ad disserēdum ualet (Nam omnia quæ ex locis à nobis expositis argumenta sumuntur, per hæc duo genera tractari possunt) tenebimus. Ac primum de simplici disseremus. Ratiocinatio igitur simplex omnis ex tribus simplicibus effatis constat, quorum primū πρότασις, id est propositio: secūdum πρόληψις, id est assumptio, aut λῆμμα, id est sumptio: tertium συμπέρασμα, id est conclusio dicitur. Prima duo interdum προτάσεις, id est propositiones, interdum προλήψεις, id est assumptiones & λήμματα, id est sumptiones vocātur: sed superior verior est distinctio. Ex varia harum trium enunciationum dissimilitudine, varia etiam simplicium ratiocinationum genera sunt consecuta. Sed quoniam hæ sunt aliorū generum partes, primum de illis disseramus. Tribus ex uerbis cōstat omnis, de qua agimus, ratiocinatio, quorū quoniā triplex tantū ordo est in collocādo, triplex ex eo nata dispositio est. Quod enim σχῆμα vocat Aristoteles, id ego hoc loco dispositionem aptè appellari posse existimo, vt de disponendis tractandisque argumentis ex horum trium uerborū collocatione hæc pars nominata videatur. Trium autem horum verborum dispositio ex unius quod reliqua duo inter se nectit et

secum ipsa primum coniungit, aut alterum separat, col locatione iudicatur. Nam cum subijcitur in propositio ne primo, & in assumptione tertio attribuitur, primũ dispositionis genus dicitur. Vt in hac ratiocinatione,

Omnis virtus est habitus,

Omnis iustitia est virtus,

Omnis igitur iustitia est habitus: uirtutis nomẽ in sumptionibus bis collocatũ est, semel priore, iterũ posteriore loco. Ita fit vt duorũ reliquorũ unum in propositione ei tribuatur, alterum subijciatur in sumptione. Atque hoc est primæ forma dispositionis. Secunda autem forma dispositionis est, cum illud idem uerbum tã in propositione, quàm in assumptione attributi vim et nomen obtinet, ut in hac ratiocinatione perspici potest,

Nulla simulatio virtus est,

Omnis religio virtus est,

Nulla igitur religio est simulatio.

Tertia autem dispositionis forma est, cum idem verbum tã in propositione, quàm in sumptione subijcitur, id est primo loco ponitur, vt in hac ratiocinatione,

Omnis iustitia est habitus,

Omnis iustitia est virtus,

Aliqua igitur virtus est habitus.

Sunt igitur hæc tria solum genera disponendarum ratiocinationum, quas simplices nominauimus. Idq; hinc facile intelligi potest, quod cum ex eo simplices dicantur, quia ex simplicibus tribus enunciatis constãt: &

dispositio ex trium verborum quæ in duobus primis inueniuntur vnius ordine et collocatione indicatur: nec id verbum nisi triplicem ordinem quem exposui habere vllũ poßit: profectò hæc tria solum sunt genera collocationis. Singulorum autem generũ plures sunt partes, de quibus nobis dicendum est. Intelligendũ est autem plures partes generum singulorũ, non iam ex triũ verborũ, aut illius vnius varia collocatione oriri (esset enim illa noua forma, non formæ pars) sed ex notarum quæ principio trium illarum enũciationum adiunguntur, uarietate. Notæ autem eæ sunt quæ adiectæ enũciationibus faciunt, ut de toto genere, aut eius parte aliqua dicant, vt sunt omnis, aliquis. aut omni uel aliqua ex parte negẽt, ut nullus, aliquis nõ. Itaq; quot modis hæ notæ in quoque collocationis genere variari, salua necessaria conclusione possunt, totidem sunt partes generum singulorum. Quot autẽ modis id fieri poßit, videamus, atque à primo dispositionis genere ordiamur. Primam quidem dispositionis formam esse diximus, cum in propositione uerbum id quod alteri subijcitur, alteri attribuitur in assumptione. quò etiam illud addi potest, vt ei verbo quod in assumptione subiectũ erat, id attribuatur in conclusione quod attributi nomẽ in propositione obtinebat. Id autẽ fieri posse quatuor modis Aristoteles tradidit: quorum tertiũ, primus: & quartũ, secundus ut partẽ complectitur. Primus est cũ & propositione & assumptione quæ de toto genere

uniuersè dicunt, positis & concessis, sequitur quæ uniuersè de toto etiam genere dicit, necessaria conclusio. Cuius tale est exemplum,

Bar Omnis arbor est natura,
ba Omnis autem pirus est arbor,
ra Omnis igitur pirus est natura.

Secundus est, cũ propositione quæ omni ex parte negat, & assumptione quæ ex omni parte ait, concessis, necessaria conclusio sequitur quæ omni ex parte quid negat. Exemplum erit huiusmodi,

Ce Nulla virtus est malum,
la Omnis autem fortitudo est virtus,
rent Nulla igitur fortitudo est malum.

Cum autẽ propositio de toto genere vniuersè dicit, & de parte assumptio, ijsq; cõcessis cõclusio quæ de parte dicit sequitur, tum tertius appellatur modus. Cuius tale exemplum est,

Da Omnis arbor est natura,
ri Aliqua autem pirus est arbor,
i Aliqua igitur pirus natura est.

Ex quo facilè perspicitur, hunc tertium primo contineri. Quartus autem modus primi generis dispositionis est cum propositio omni ex parte negat, sumptio quadam ex parte dicit, quibus concessis, necessaria quæ ex parte negat sequitur conclusio, vt,

Fe Nulla virtus est malum,
ri Quædam autem fortitudo est virtus,

o Quædam igitur fortitudo non est malum.

Hunc si quis cum secundo conferat, illo contineri animaduertet. Atque hi quidem quatuor modi ex notarũ quæ principio enunciationum adiunguntur sola uarietate nati sunt. Quinque autem alij à Theophrasto & Eudemo adiecti sunt, vt ait Boethius, quorum tres primi non ex notarum varietate, sed sola conclusionis cõuersione extiterunt: duos autẽ reliquos non tam conuersus ordo cõclusionis superiorum peperit, q̃ mutua quædam propositionis & assumptionis commutatio. Quintus enim idem est qui primus, excepta cõclusione, quæ hic conuerso illius ordine de parte dicit. Quod quò facilius perspici posit, in eodem exemplo manebo,

Ba Omnis arbor est natura,

ra Omnis autem pirus est arbor,

lipton Quædam igitur natura pirus est.

Sextus autem prorsus idem est qui secũdus, nisi quòd conclusio conuersa est,

Ce Nulla virtus est malum,

lan Omnis autem fortitudo est virtus,

tes Nullum igitur malum est fortitudo.

Septimus etiam à tertio nihil distinguitur, nisi conuersa conclusione,

Da Omnis arbor est natura,

bi Aliqua autem pirus arbor est,

tis Aliqua igitur natura pirus est.

Octauus autem à secundo nõ solum hoc differt, quòd

in conclusione conuersum habet ordinem, (sic enim à sexto non distaret) uerum etiam hoc quòd propositio in assumptionē, & contrà in propositionē assumptio, conuerso etiam ordine mutatur. Aliud hic cogor exemplum ponere, ex quo perspicuum est, non in omnibus rebus in quibus illic, hic quoque sequi conclusionem.

Fa Omne quod honestum est, laudabile est:
pes Nihil autem quod malum est, est honestum:
mo Aliquid igitur quod est laudabile, nō est malum.

Nonus modus quarto respondet mutata propositione in assumptionē, vt etiam cum illis cōuertatur cōclusio.

Fri Quædam virtus fortitudo est,
se Nullum autem malum est virtus,
som. Quædam igitur fortitudo malum non est.

Ac primi quidē generis collocationis tot sunt partes, nec plures esse possunt. Secundi autem generis quatuor sunt tantummodo partes. Secunda quidē dispositionis forma est, cum verbum id quod ante cōclusionem bis dicitur, tam in propositione quàm in sumptione attributi nomen obtinet, & ijs cōcessis necessaria sequitur cōclusio. Modi autem hic omnes negant, quorum primus est cū propositio omni ex parte quid negat, assumptio autem omni ex parte ait, quibus positis & concessis necessaria efficitur quæ in totum negat conclusio. Exemplum erit huiusmodi,

Ce Nulla virtus vitium est,
sa Omnis intemperantia vitium est,

re Nulla igitur intemperantia est virtus,

Secũdus est idem qui superior, nisi quòd ex cõmutatis propositionibus conclusio cõuersa sequitur, hoc modo,

Ca Omnis intemperantia vitium est,

mes Nulla autem virtus vitium est,

tres Nulla igitur virtus est intemperantia.

Itaque non est verus modus, cum à vero deflexerit. Tertius est cum propositio in totum negat, & quadã ex parte ait quid assumptio, vt ex ijs conclusio quæ aliqua ex parte neget sequatur. Itaque eum primius, vt partem complectitur,

Fes Nulla virtus vitium est,

ti Quædam autem intemperantia uitium est,

no Quædam igitur intemperantia non est virtus.

Quartus autem est, cũ ex propositione quæ de toto genere vniuerse dicit, & ex assumptione quæ quadã ex parte negat, ex quadã parte negans cõclusio efficitur,

Ba Omnis intemperantia vitium est,

ro Quædam virtus vitium non est,

co Quædam igitur virtus non est intemperantia.

Tertia restat forma collocationis. In hac diximus id verbum quod bis diceretur in vtraq; sumptione subijci. Sex eius modi sunt. Primus est, cum tam propositio in totum & omnino ait, quàm assumptio, sed conclusio sequitur quæ aliqua ex parte dicit,

Da Omnis virtus est qualitas,

rap Omnis virtus est habitus,

ri Quidam igitur habitus eſt qualitas.
Secundus modus huic eſt ſimilis, idemque efficit. commutatis enim propoſitione & aſſumptione, conuerſa ſequitur hic concluſio,
Omnis virtus eſt habitus,
Omnis virtus eſt qualitas,
Quædam igitur qualitas eſt habitus.
Hunc ſi ſecundum probemus, ſeptem erunt modi. Si autem eum reijciamus ex modorum finibus hoc ipſo quòd idem efficit, multi certè ex ſuperioribus repudiādi erūt, qui idem quod alij, vt demonſtratū eſt, efficiūt.
Tertius modus eſt, cum ex propoſitione quæ omni ex parte negat, & ex aiente in totum & omnino aſſumptione ſequitur negans ex parte concluſio,
Fe Nulla virtus eſt fugienda,
lap Omnis virtus eſt expetenda,
ton Aliquid igitur quod eſt expetēdū fugiēdū nō eſt.
Quartus eſt cum propoſitio quadam ex parte dicit, in totum autem & vniuerſè aſſumptio, ex quibus concluſio ſequitur, quæ quadam ex parte dicit,
Diſ Quædam virtus expetenda eſt,
a Omnis virtus eſt laudabilis,
mis Quiddā igitur quod eſt laudabile, eſt expetēdū.
Quintus huic ſimilis eſt, nec differt niſi ſumptionum commutatione, & concluſionis conuerſione.
Da Omnis uirtus eſt laudabilis,
ti Quædam virtus expetenda eſt,

si Quiddã igitur quod est expetendum, est laudabile.
Sextus est, cum propositio quadam ex parte negat, assumptio autem omni ex parte & in totum ait, & iis positis, necessaria sequitur ex parte negans conclusio,
Bo Aliqua virtus non est fugienda,
car Omnis virtus expetenda est,
do Aliquid igitur quod expetẽdũ est, nõ est fugiẽdũ.
Septimus à tertio nisi assumptiõe nõ differt. Quæ enim illic omni ex parte ait, hic solum quadã ex parte dicit,
Fe Nulla virtus fugienda est,
ri Quædam virtus est expetenda,
son Aliquid igitur qđ est expetendũ, fugiendũ nõ est.
Atque hæ sunt omnes rationes cõmutandæ collocationis in simplicibus ratiocinationibus, duntaxat cũ necessaria sequitur conclusio. Nam si duæ ponantur propositiones quæ quadam ex parte aiant, aut negent, aut duæ quæ in totum negent, conclusio non erit necessaria. Facile enim occurri poterit in omni forma dispositionis. Cum vtraque tantum de parte dicet, hoc modo argumentum refelletur in prima, Aliquid quod albũ est, est lapis, Aliquis homo est albus, Aliquis igitur homo est lapis. In secunda hoc modo, Aliquis lapis est albus, Aliquis homo est albus, Aliquis igitur homo lapis est. In tertia hoc modo, Aliquid quod album est, lapis est: Aliquid quod album est, est homo: Aliquis igitur homo est lapis. Si vtraque tantum quadam ex parte neget, idem probari poterit. In prima dispo-

ſitionis forma hoc modo, Aliquid quod album eſt nō eſt animal, Aliquis homo non eſt albus, Aliquis igitur hō non eſt animal. In ſecunda, Aliquod animal non eſt album, Aliquis homo non eſt albus, Aliquis igitur homo animal non eſt. In tertia eodem modo, Aliquid quod albū eſt, nō eſt animal, Aliquid quod album eſt non eſt homo, Aliquis igitur homo non eſt animal. Si vtraq; omni ex parte neget, in re etiam ſimili argumentum refelli licebit. In prima diſpoſitionis forma hoc modo, Nulla virtus vitium eſt, Nulla intemperantia virtus eſt, Nulla igitur intemperantia eſt vitium. In ſecunda, Nulla temperantia eſt vitiū, Nulla virtus eſt vitium, Nulla igitur temperantia eſt uirtus. In tertia, Nulla uirtus eſt fugienda, Nulla virtus eſt uitiū, Nihil igitur quod eſt fugiendū vitium eſt. In iiſdem ferè exemplis permanſi, quò faciliùs natura eorum quæ adhibui perſpecta, in aliis etiam eiuſdem generis omnes aſſueſcant reſiſtere. Sit ergo hoc generale præceptū, Aut propoſitionē aut aſſumptionē, ſi aiant de toto genere & omnino dicere: ſi negent, omni ex parte negare oportere. Alterum eſto, Alteram tantum earum ſi concluſio neget, negare oportere. Concluſionis etiam hoc præceptum generale dari poteſt, Cōcluſionem ſemper eam partem quæ ſit deterior, imitari. Nam ſi vel aſſumptio vel propoſitio neget aut aiat ex parte, nunquam ex omni parte dicet negabitur concluſio. Quod facilè doceri poteſt in omni forma

dispositionis: sed contenti omnes si in prima id verum esse ostendero, esse debebunt. Neque enim hæ duæ necessariæ sunt cõclusiones, Omnis homo est rationis particeps: Aliquid quod album est, est homo: Omne igitur quod album est, rationis est particeps.
Nullus lapis est animal,
Aliquid quod album est, est lapis,
Nihil ergo quod est album, animal est.
Quemadmodum autem docui in omni forma dispositionis tum propositionem tum sumptionem de parte aliqua dicere, aut ex aliqua parte negare non posse, et conclusionem de parte aliqua dicere, aut aliqua ex parte negare oportere, si vel propositio vel assumptio ẽiusdem generis sit: ita non plures concludendi modos quàm quos exposui, facile est ostendere. Sed ne aut longiores videamur, aut omnino opera nostra hoc in loco desyderetur, in primo disponendæ ratiocinationis genere ita esse concludũ. In hac quidem forma collocationis quatuor tantum partes numeraui, quæ directò quid concluderent. Nam alijs quinque non directo, sed conuerso ordine aliquid efficitur. In his autem quatuor primi generis partibus sic propositionem & assumptionem collocauimus, vt in prima parte vtraque de toto genere vniuersè diceret, in secunda propositio in totum et omnino negaret. assumptio autem omni ex parte diceret: in tertia propositio de omni parte, seu de toto genere, assumptio de aliqua tãtum parte dice-

ret: in quarta propositio omni ex parte negaret, assumptio ex parte aliqua diceret. Nunc ordinē hunc mutari non posse, agè doceamus. Ac de prima quidem primi generis parte nihil est quod dicam, præsertim cum de toto genere & vniuerse tam propositio quàm assumptio enunciet. De secunda autem hoc dico, si propositio in totum & omnino dicat, assumptio autem omni ex parte neget, non fore his concessis conclusionem necessariam. Neque enim hæc necessaria est,

Omnis virtus est habitus,
Nullum vitium est virtus,
Nullum igitur vitium habitus est,
vel, Aliquod igitur uitium habitus non est,

Itemque ne tum quidem est necessaria, cum propositio de aliqua parte dicit, & de toto genere assumptio.

Aliquis habitus bonum est, Omne uitiū est habitus,
Aliquod igitur vitium est bonum.

Idem fiet si propositio de aliqua parte dicat, & omni ex parte assumptio neget,

Aliquis equus albus est,
Nullus autem cygnus est equus,
Aliquis igitur cygnus albus non est.

Atque his quidem tribus conclusionibus ostensum esse puto, non posse commutari assumptionum & propositionum ordinem in tribus primæ dispositionis partibus. Quoniam autem alicui uideri potest necessaria cōclusio, si propositio de omni parte dicat, &

ex aliqua parte neget assumptio, is hoc mō refelletur,
Omnis homo est animal,
Aliquis cygnus non est homo,
Aliquis igitur cygnus animal non est.
Eodemq; modo refutare licebit cū propositio ex omni parte negabit, et assumptio solū de aliqua parte dicet,
Nulla nix est animal,
Aliquid quod album est, nix est:
Nihil igitur quod album est, est animal.
Ac primum quidem disponendæ ratiocinationis genus non plures complecti posse partes, quàm exposuimus, ex his facile intelligi licet. Reliqua autē duo genera nō posse plures complecti, quàm quas enumerauimus, ex his non potest perspici, sed ex alijs rationibus quas afferrem, nisi uererer, ne longiorē et minus fortasse suauē orationē ponere uiderer. His ita cōstitutis, ad alia pergamus. Intelligendū est autē locos omnes quos superiore libro exposuimus, per hæc tria dispositionis genera posse tractari. Nam vt primū de loco definitionis dicā, si quæratur, Sitne tēperantia expetenda? id doceri poterit definitionis loco, quē per ratiocinationē tractabimus eam cuius dispositio ad tertium modum primi generis pertinet. Omnis virtus moralis quæ gustatus et tactus cupiditatibus modum apponit, expetēda est: Temperātia autē virtus est moralis, quæ gustatus & tactus cupiditatibus modum apponit: Temperantia igitur est expetenda. Idem doceri potest re-

rum expetendarum definitione. Atque per hunc vnũ modũ primi generis quæstio hæc tractari potest. Solus enim is est huius dispositionis, ex quo aliqua quæ de parte dicat necessaria conclusio sequatur, eorum duntaxat qui directò concludunt. Si autem quæratur de toto genere, An omnis temperantia expetenda sit? id confirmari poterit ijsdem definitionibus, sed ad primũ modum reuocanda erit tractatio. At cum aliquid definitionis loco refellendum erit, id si de parte quæratur, ut sit'ne fugienda fortitudo, per quartum modum: sin de toto genere, vt sit'ne nulla fortitudo fugienda, per secundum modum eiusdem primi generis tractanda erit ratiocinatio. Tractatio autẽ erit huiusmodi, Nulla virtus quæ in periculis incidentibus constantiam & decorum seruat fugienda est, Fortitudo autem virtus est quæ in periculis incidentibus constantiam decorúmque seruat, Non est igitur fugienda fortitudo. Alterius erit eadem, nisi quòd assumptio de toto genere debet dicere, & nulla ex parte negare conclusio. Secundæ autem dispositionis formæ nullius usus est in confirmatione, propterea quòd illius modi omnes negãt, in refutatione autem est plurimus. Ego quò usus sit facilior ad imitandum, in eodem exemplo permanebo. Si quis omnem fortitudinem concedat esse fugiendam, locum definitionis per ratiocinationem ad primum secũdi generis modũ pertinentem tractare licebit hoc modo,

Nihil fugiendum est, quod in periculis incidentibus

constantiam decorúmq; seruat: Omnis autem fortitudo uirtus est quæ in periculis incidentibus constantiam decorũq; seruat· Nulla igitur est fortitudo fugiẽda. Tertia autem in eas tãtum quæstiones quæ de parte dicunt, aut ex parte negant, adhiberi potest. Nullæ enim in totum & omnino dicunt aut negant conclusiones. Posita sit hæc quæstio, Sit'ne aliqua fortitudo expetenda? si ea negetur, confirmari poterit hoc modo, Omnis uirtus quæ in periculis incidentibus constantiam & decorum seruat expetẽda est. Omnis uirtus quæ in periculis constãtiam decorúmq; seruat, est fortitudo: Aliqua igitur fortitudo expetẽda est. Nũc hoc uno definitionis quẽ adhibui loco ero contentus. De cæteris autẽ disseram, si hoc præposuero, Cum aliquid erit nobis uel confirmandum uel refellendum, ut sine errore quo cuiusq; dispositionis modo uelimus, utamur, primum qui modi cõclusionem habeant quæ in totũ & omnino dicat, & neget, quæq; aliqua ex parte aut dicat aut neget, tenendum est. Deinde uidendum est quod nobis propositum est confirmare, aut refellere, id'ne in totũ dicat, aut neget, an solum ex aliqua parte. Præterea illud quoque scire oportet, omnes primi generis modos & ad refellendum & ad probandum quid siue de toto genere, siue de parte, esse aptiores. Proposita autem omni quæstione, ubi hæc omnia tenuerimus, iam ij quos superiore libro exposuimus, erunt tenendi loci, ut ex ijs quos causæ nostræ magis profuturos intelligemus, ducamus argumentum. Ducere enim argumentum à quoque, aliud est nihil, ni-

si id quod ait Aristoteles, uerbū unū quod mediū uocat inuenire, quod cū secū duo reliqua in sumptionibus copulauerit, ea quoq; inter se colliget in conclusione: aut cum alterum à se dissociauerit uel in propositione uel in assumptione, utrunque etiam in cōclusione ab altero dirimat. Ex eo enim tres dispositionis formæ ortæ sunt. Prima, quòd uerbum id quod bis ante conclusionem dicitur, tum in propositione subijcitur, tum attribuitur in assumptione: secūda, quòd in utraq; atttribuitur: tertia, quòd in utraque subijcitur. Quæ cum ita sint, malim ego rationem inueniendi uerbi quod ad concludendum sumitur, ad locos eos, quos exposuimus, accommodari, quàm ad eam quā præscripsit Aristoteles formam & disciplinā. Si enim teneas quicquid ad cōfirmandum aut refellendum id de quo agatur adhibetur, id alicuius illorum locorum nomine appellandum esse, facilè etiam quemadmodū affectum sit ad alia duo uerba quæ concludenda sunt, intelliges. At si scias unius id antecedēs esse, alterius consequens, aut dissentaneum unius, & alterius consentaneum siue consequens, hoc nihil tibi cōducet ad locorum facultatem consequendam, quorum inuentio ad iudicium, id est dispositionem, omnis accommodanda est. Dicamus ergo inuentionē eius uerbi quod mediū Aristoteles uocat, aliud esse nihil nisi argumentorum locorúmq; eorum quos superiore libro commemorauimus, inuentionem. In quo illud intelligendū est, non quouis locorū illorum statim id de quo agatur cō-

cludi posse, interdúmq; duplicem adhibendam esse argumentationem. Quo in genere sunt cum alij nonnulli tum contrariorum locus. Neque enim si, exempli causa, hoc incidat in disputationem, Sit ne uoluptas expetēda: una argumentatione confici licebit, sed tantum duabus. Priore hac, Omne quod naturam offendit fugiendū est, Dolor naturam offendit, Dolor igitur fugiēdus est. Posterior hæc erit, Quòd si dolor fugiendus est, expetenda est uoluptas. Idem ferè fit in causarum & rerum effectarum locis. ut si quæratur, Sit ne bellum fugiendum: primum tractandum erit argumentum ex causa: deinde eo tractato, concludetur effectus, hoc modo, Omnis perturbatio animi à ratione auersa, fugienda est: Omnis autem cupiditas animi est à ratione auersa perturbatio: Omnis igitur est fugienda cupiditas. Ita bellum quoque fugiendum est, quod ex cupiditate nascitur. Similitudinis, dissimilitudinis, maioris, minoris, & paris eadem est ratio & sententia. Hoc autem fit proptereà, quòd his in locis atque in superioribus id unde argumētum ad id quod agitur, sumitur, nec antecedens, nec consequens est eorum duorum uerborū quæ concludenda sunt, sed ferè aut repugnans aut dissentaneum. Vt autem confirmādo statim una argumentatione id de quo quæritur, quemadmodum docui, concludi non potest, ita nec potest refellendo. Si enim quæratur, an uoluptas aliqua fugienda sit, idq; concedatur, refutari poterit, hac duplici argumentatione per tertiam dispositionis formam,

Nullus dolor est uoluptas,
Omnis dolor fugiendus est,
Aliquid igitur quod fugiendum est, non est uoluptas.
Concesso autem antecedente sequitur, Omnis dolor est fugiendus, Aliqua igitur uoluptas non est fugienda. In coniugatis autem una argumentatione id concludi licet. ut si quæratur, Sit'ne fortiter facere id quod audacter? refelli poterit hoc modo,
Nullius fortitudinis est audacter facere,
Omnis fortitudinis est fortiter facere,
Fortiter igitur facere non est id quod audacter.
Quod enim uni coniugatorum non conuenit, alteri, quēadmodum dixi, conuenire non potest. Per primam autem formam contrariorum locus tractari non potest refellendo: ut si quæratur, sitne omnis declinanda pax, id refelli non poterit hoc modo,
Nullum bellum est pax,
Aliquid quod fugiendum est, est bellum:
Aliquid igitur quod fugiendum est, non est pax.
Nec uerò alio modo refutari potest eorum qui primæ dispositioni sint attributi. Itaq; duabus argumentationibus id faciendum est necessariò, ut si hoc in disputationē incidat, Sit'ne fugienda iustitia, hac utraque ratiocinatione utendum est in refellendo,
Nullum uitium expetendum est,
Omnis iniustitia est uitium,
Iniustitia igitur nulla expetenda est.

Ita iustitia fugienda non est.

Loci autem qui per omnes dispositionis formas tractātur, sunt definitio, enumeratio partium, genus, forma, antecedentia, consequentia. Definitionis exempla paulò antè posui. Enumerationis in prima dispositionis forma, hoc erit exemplum, Omne animal aut rationis est particeps, aut expers: Omnis autem homo est animal: Omnis igitur homo est rationis particeps, aut eius expers. Sunt quibus placet hoc argumentum & quæ sunt eiusdem generis, duci ab enumeratione partium. Mihi autē potius ex toto sumi uidetur. Concluduntur enim partes ex toto, non aliter atque hoc argumento, Si animal est, aut rationis est particeps, aut eius expers: Animal est autē. Aut igitur rationis particeps, aut expers eius est. Itaq; cum argumētum ab enumeratione partium ducitur, totum concludi oportet hoc modo, Quicquid dignitatem aut uoluptatem, aut utilitatem affert, id est expetendum: Iustitia autem aut dignitatem, aut uoluptatem, aut utilitatem affert: Iustitia igitur est expetenda. In refellēdo etiam enumerationis partium in hac usus est plurimus. In secunda autem dispositionis forma cōclusiones omnes solum ad refellendum ualent. Ab enumeratione partium, in ea hoc pacto refellere licebit,

Omnis numerus est par aut impar,
Nulla essentia est par aut impar
Nulla igitur essentia est numerus.

Si propositio & assumptio conuertantur, ducetur ex

toto argumentum, hoc modo,

Quicquid est par aut impar, id numerus est.
Nulla essentia est numerus,
Nulla igitur essentia par est uel impar.

In tertia porrò per ratiocinationem enumeratio partiũ, & totum tractantur & confirmando & refellendo: idq; multis modis, sed eorum pauca exempla ponemus. Ab enumeratione partiũ in cõfirmatione erit eiusmodi,

Omne quod est par aut impar est qualitas,
Omne quod est par aut impar est numerus,
Numerus igitur est qualitas. Quæstio est generis, An numerus sit qualitas? In refutatione hoc modo,

Nihil quod est par aut impar est essentia,
Omne autem quod est par aut impar est numerus,
Numerus igitur non est essentia.

Ex toto autem in confirmatione ducetur hoc modo argumentum,

Omne animal rationis est particeps, aut eius expers,
Quoddam animal essentia est,
Quædã igitur essentia particeps, aut expers rationis est.

In refutatione eiusmodi erit exemplum,

Nulla substantia est par aut impar,
Aliqua substantia est substantia corporea,
Substantia igitur corporea aliqua nõ est par aut impar.

Generis etiam argumẽta per has tres dispositionis formas tractari possunt. Huius loci cum inuentionem traderem, hoc admonui, eum nunquam in confirmatione

firmum esse, nisi in totum & omnino, id est, quod aiunt, uniuersaliter de re diceretur. Hoc praeceptum ad duas formas primam & tertiam pertinet. A genere enim in utraq; & species et pars probatur. In prima hoc modo,

Omnis uirtus est habitus,

Iustitia est uirtus,

Iustitia igitur est habitus. Quaestio generis, Sit ne iustitia habitus. Locus communis, Quicquid de genere toto dicitur, id de eius forma dici. Quia enim uirtuti quae iustitiae genus est, toti habitus conuenit, etiam formae eius habitum conuenire oportet: in quo omnis uis eius argumenti posita est. Tertiae formae erit huiusmodi tractatio,

Omnis uirtus est habitus,

Aliqua uirtus iustitia est,

Aliqua igitur iustitia est habitus.

In refutatione autem tractari potest per ratiocinationes quae ad tres collocationis formas pertinebunt. In prima hoc modo,

Nulla essentia est numerus,

Omnis autem animus est essentia,

Nullus igitur animus numerus est.

Quaestio est generis, Sit ne animus numerus? ea generis loco refellitur. Locus autem communis à superiore ortus est huiusmodi, Quod toti generi non conuenit, id ne parti quidem conuenire. Ortum autem eum esse à superiore hinc sciri potest, quòd si uerum est quod toti generi conueniat, idem cadere in eius formam, uerum etiam

esse oportet. quod toti non conueniat, id nulli etiam formæ conuenire. In secunda autem forma talis erit generis in refutatione tractatio,
Nullus numerus est essentia,
Omnis animus essentia est,
Nullus igitur numerus animus est.
Quanquam in hac conclusio conuertitur. In tertia uerò erit eiusmodi,
Nullus habitus est figura,
Aliquis habitus est uirtus,
Virtus igitur aliqua non est figura.
Generis est quæstio, Sit'ne aliqua uirtus figura? ea loco generis refellitur. Locus communis, Quod generi non conuenit, nec formæ conuenire. figura enim habitui non conuenit, ex eóque uirtuti non conuenire concluditur. Forma sequitur, cuius argumētorum tractatio duobus tantum disponendæ argumentationis generibus explicari potest. Sed hoc notandum est, quod in loci eius inuentione dixi, formam ad refellendum genus minimè ualere. Ex quo perspicuum est eos solū modos qui uim habent ad confirmandū, formæ loco tractādo posse accōmodari. Ac primæ quidem formæ tractatio erit talis,
Omnis iustitia habitus est,
Aliqua uirtus est iustitia,
Aliqua igitur uirtus habitus est.
Quæstio est generis, Sit'ne uirtus habitus? Locus communis, Quod formæ conuenit, generi etiam conuenire.

Quoties autem hic locus firmum argumentum à specie reddit, à forma conclusio nulla quæ de toto genere dicat. sequitur in primo hoc genere dispositionis. Hoc fit propterea quòd species de genere toto non uere dicitur, quod necesse est fieri. Cum uerò locus hic communis, Cui forma conuenit, genus etiam conuenire, ad argumentum ex forma probandum adhibetur, tum uniuersum genus concludi potest. Exemplum erit eiusmodi,

Omnis uirtus est habitus,
Omnis temperantia est uirtus,
Omnis igitur temperantia est habitus.

In tertia autem forma tractatio erit talis,

Omnis temperantia est habitus,
Omnis temperantia uirtus est,
Quædam igitur uirtus est habitus.

Quæstio est generis, Sit ne uirtus habitus? Locus communis, Quod formæ conuenit, generi etiam conuenire. Quia enim temperātiæ, quæ uirtutis quædam forma est, habitus conuenit, uirtuti etiam conuenire debere concluditur. Nihil autem ex eo loco communi, Cui forma conuenit, ei etiam genus conuenire, hic concludi potest, propterea quòd eorum uerborum quæ in propositione & assumptione attributa sunt, unum alteri necesse est attribui in conclusione. Quod etiam commune est reliquorum locorum. Antecedentium & consequentium loci restāt. Superiores quidem loci duo, generis dico & formæ, horum partes quædam uidentur esse. Nam &

omnis species generi, ut superiore libro demonstratũ est, antecedit, & genus formæ est consequens, si modo in totum minimè dicatur. Sed tamẽ omnino distincti sunt. In generis enim ac formæ locis totius & partis habetur ratio. In his autẽ non partis aut totius ratio ducitur, sed solum antecessionis & cõsecutionis. Horum autem eadẽ ferè tractatio est. Nam & consequentia ex antecedentibus, & contrà ex consequentibus antecedentia cõcludi possunt omni forma collocationis. Quod quò faciliùs & magis ex arte faciamus, ea omnia antecedentium consequentiúmq; genera tenenda sunt, quæ in eorundem inuentione exposui. In prima quidem forma dispositionis antecedentium in confirmando exemplum erit huiusmodi,

Omne quod honestum est, laudabile est,
Omnis temperantia honestum est,
Omnis igitur temperantia est laudabilis.

Quæstio est accidentis, Sit ne temperantia laudabilis? Locus communis, Cui antecedens conueniat, ei consequens conuenire. Honestum enim antecedens eius est, quod est laudabile, quod quia in temperantia uerè dicitur, laudabile etiam in ea uerè dici oportet. A consequentibus eodem modo tractari potest argumentum,

Omne animal est corpus,
Omnis homo est animal,
Omnis igitur homo est corpus.

Quæstio est generis, Sit ne homo natura corpore prædi-

ta? Locus communis, Quod de toto consequente dicitur, id de aliquo eius antecedente dici. In refutatione autem non iisdem modis quibus antecedens, consequens quoq; tractatur, A consequentibus quidem hoc modo,

Nihil quod rationis est expers, natum est ad percipiendam uirtutem,

Coruus omnis est expers rationis,

Coruus igitur nullus ad percipiēdam uirtutē natus est.

Quæstio est proprij. Locus communis, Quod consequēti non conuenit, id eius antecedenti non conuenire. Coruus enim antecedens est rationis expertium. Si enim coruus sit, etiam expers rationis sit necesse est, non contrá. Ab antecedentibus autem necessaria in refutatione conclusio non sequitur, nisi in ijs quæ reciprocantur, cuiusmodi sunt homo & ridens, & uno nomine proprietates & res quarum sunt proprietates. Res autem ipsæ ex eo suis proprietatibus antecedere dicūtur, quòd sint necesse est res ipsæ, ut proprietates cohæreant. Exemplum erit huiusmodi,

Nulla exhalatio ignis est,

Omnis fumus exhalatio est,

Nullus igitur fumus ignis est. Ita fumus non celerrimè sursum fertur. Neq; enim in hoc genere dispositiōis una ratiocinatione concludi potest, quoties locus hic cōmunis dominatur, Cui nō conuenit antecedens eius quod reciprocatur, ei consequens non conuenire. Cum autem locus ille regnat, Quod in antecedens eius quod reciprocatur

non cadit, id nec cadere in consequens, tum una ratiocinatione id confici licet,
Nullus ignis est fumus,
Quod sursum celerrimè fertur, ignis est,
Quod igitur sursum celerrimè fertur, non est fumus.
In secunda autem forma disponendæ argumentationis ex consequentibus in refellendo argumentum firmum est: ex antecedentibus non est firmum ullum, nisi cum antecedens & consequens reciprocantur. Ab antecedentibus talis erit tractatio,
Quicquid celerrimè sursum fertur, ignis est,
Nullus fumus ignis est,
Nullus igitur fumus celerrimè sursum fertur.
Quæstio est proprij, An fumus celerrimè sursum fertur? Locus communis est, Cui antecedens eius consequentis quod uicißim retro commeat, non conuenit, nec consequens ei conuenire. Ignis enim antecedens est eius quod sursum celerrimè fertur, qui quoniã de fumo uerè nõ dicitur, id etiam quod celerrimè sursum fertur, de eo uerè non dici necesse est. A consequentibus autem semper hic firmum est argumẽtum, nisi sint antecedentium quæ modo dixi, consequentia. Exemplũ erit huiusmodi,
Omnis intemperantia uitium est,
Nulla uirtus est uitium,
Nulla igitur uirtus est intemperantia.
Tertio autem collocandæ argumentationis genere explicari potest tam in confirmatione, quàm in refutatione

consequentium tractatio. In confirmatione hoc modo,
Quicquid expetendum est, bonum est,
Aliquid quod expetendum est uirtus est.
Aliqua igitur uirtus bonum est.

In refutatione autem hoc modo tractabitur,
Nihil quod expetendum est, est malum,
Aliquid quod est expetendum, iustum est,
Aliquod igitur quod iustum est, non est malum,

Ab antecedentibus autem in confirmatione quidem omnia ualent, quorum exemplum est eiusmodi,
Omnis homo est animal,
Aliquis homo est rationis particeps,
Aliquid igitur quod est particeps rationis est animal.
Quaestio est generis, Sit'ne aliquid quod est rationis particeps animal? Locus communis est, Quod antecedenti conuenit, id etiã consequenti eius conuenire. Quod enim rationis est particeps, hominis est consequens. In refutatione autem nulla hic necessaria conclusio sequitur, nisi in ijs antecedentibus, quae & ipsorum consequentia reciprocantur. Omnium quidem locorũ argumẽta quot modis tractari poßint, & quemadmodum, siue quid confirmandum sit, siue refellẽdum, quaeq; collocationes in quos locos adhiberi poßint, quiq; loci unã suppeditent argumẽtationem, qua statim id quod quaeritur concludi liceat, quiq; egeant quasi subsidio quodam alterius conclusionis, diximus. Hoc autem intelligendum est, me in ponendis exemplis, non oratorum copiam, & uber-

tatem, sed Dialecticorum inopiam & ieiunitatem secutum, propterea quòd angustiùs hi loquuntur qui rem expendere, non ornamenta uerborum solent, & subtiliùs uerborum ordinem exquirere, cum illi hæc omnia negligant. Itaque ut Dialectici primum proponunt aliquid, deinde sumunt, postremo concludunt: sic illi hunc ordinem contemnunt, interdúmque à proposito non ordiuntur, neque concludunt: sumptiones uerò sæpe ad rationem probationémque traducunt, ut difficillimum sit nonnunquam eorum argumentationes ad eum ordinem qui naturalis est, reuocare. Sed tamen ab istis angustijs discedere conceditur, palámq; quasi in campo amplißimo expatiari, dummodo trium earum formarum quas præscripsi, modus retineatur. Ac scribendo quidem non est dubium, quin copia uti liceat, multísque uerbis exponere ea quæ tractantur aut disputantur. Cum autem cum alijs disserimus, quoniam longam orationem aut eorum qui contrà disputant, non patitur aut non capit ingenium, aut causæ nostræ ratio non postulat, ne repetendo ea omittantur quæ sunt firmißima, modum adhibere debemus. Itaque raro tum propositionis, tum assumptionis afferenda ratio est, antè quàm conclusum sit argumentum, Sed de his aliàs plura dicemus. Hoc autem intelligendum est, quæ de tribus tractandarum argumentationum generibus dixi, ea omnia ad argumentationes simplices esse accommodanda. Sed simplicium duo sunt genera prima, quæ ex duobus enun-

ciationum simplicium generibus orta sint. Vt enim alias simplices enunciationes primo libro esse dixi, quæ ex simplici uerbo tam eo quod substãtiuum, quàm eo quod adiectiuum appellant dialectici, constant, in quo genere hæ sunt, Omnis iustitia est uirtus, Omnis uirtus eum in quo est bonum efficit: alias autem simplices in quibus præter hæc uerba hæ quoq; notæ, necesse, necessariò, & uerba hæc, potest, accidit, collocãtur: sic duo genera sunt ratiocinationũ simplicium, quæ constant ex his enunciationibus. Quoniam igitur de priore genere dictũ est, de posteriore pauca dicamus. Aut enim secundum genus enunciationũ simplicium prætermittendum fuit, aut hoc etiam tradendum est, præsertim cũ enunciationum usus nullus sit futurus, nisi ad argumenta referantur. Hoc quidem posterius genus multas in partes distributum est. Vna enim simplex est, altera concreta. Simplex, quæ uel ex necessario tota est, uel ex eo, quod fieri potest. Concreta ea quæ uel ex his duobus mixta est, uel ex alterutro, & uerbo simplici tum eo quod substantiuum, tum eo quod adiectiuum dicitur, quæ omnia ad propositionem & assumptionem referri uolo. Exemplis hæc illustranda sunt. Simplex est tota ex necessario, quæ sequitur,

Omnis uirtus necessariò eum in quo est benè afficit,
Omnis autem iustitia necessariò uirtus est,
Omnis igitur iustitia necessariò eũ in quo est bene afficit.

Simplex tota ex eo quod fieri potest, hæc,

Omne quod crescit, decrescere potest,
Omnis puer potest crescere,
Omnis igitur puer decrescere potest.

Concreta est hæc ex eo quod fieri potest, & ex necessario,
Omne animal currere potest,
Omnis homo necessariò est animal,
Omnis igitur homo potest currere.
Ex eo autem quod necessarium est, & ex uerbo quod substantiuum dicitur, hæc concreta est,
Omnis uirtus necessariò est laudabilis,
Omnis autem fortitudo uirtus est,
Omnis igitur fortitudo necessariò est laudabilis.

Ex eo autem quod fieri potest, & ex uerbo simplici,
Omne quod ægrum est conualescere potest,
Aliquis homo æger est,
Aliquis igitur homo potest conualescere.
Atque omnium quidem exempla sunt huiusmodi. Nemo autem existimare debet hoc totum genus, ut minus necessariũ esse repudiandũ. Neq; enim sine eo quæstiones quæ de eo sunt quod fieri potest, aut non potest, quæ eædem crebris sermonibus philosophorũ ueterũ disputabantur, ullo modo, quemadmodum primo libro dixi, explicari possunt. Quinetiam id nonnunquam Cicero usurpat. Sed tamen modus in eo nobis retinendus est, ne hunc locum obscurasse uideamur. Primum de simplicibus dicam, tum de concretis. Simplices autem hic dico,

quemadmodum ignis, aer, aqua, terra, naturæ simplices à Cicerone uocantur: & cōcretas quæ ex his omnibus, aut aliquibus mixtæ sunt, ut homines, aliásq; eiusdē generis naturas ex illis quatuor primis concretas, idem Cicero nuncupat. Hoc autem de simplicibus quæ de necessario quid enunciant, tenendum est, omnes eius generis argumentationes firmas esse, si eodem modo tractētur, quo superiores, quæ ex uerbo simplici constant. Nō est necesse exemplis ponendis hoc facere lōgius. Neque enim satietatē uitare possemus, si unicuiq; modo trium tractationis generum exempla accōmodaremus. Hoc tantum dicam, si quis eas enūciationes quas in primo libro ex necessario ueras esse dixi, siue quæ de toto genere dicerent, siue ex omni parte negarent accōmodatè ad ratiocinationes tractare uelit, eum facilè obseruaturum esse eandem harum & simplicium superiorum in concludendo esse rationem. Eius autem quod fieri potest & potest nō fieri (ἐνδεχόμενον enim id dicitur) lōgè alia ratio est. Quod quò maturius doceamus, primum quid sit, & quot eius genera dicendum est. Id quidem dicitur euenire, seu accidere (nam hæc idem ualent) quod nō necessariū est, id est quod potest esse & non esse, quoq; posito nihil incommodi sequitur. ut omnem hominem in senectute nō est necesse canescere, & omnem canescere si ponamus, nihil incōmodi suscipere cogemur. Eius autem duo sunt genera, unum quod plerūque fit. ut homo plerūque cum quinq; digitis, duabúsq; manibus nasci-

tur. cum natus est, ferè crescit, in constanti ætate ferè decrescit, & canescit in senectute. Alterum est quod accidit sine alterutrius partis certo euētu ut sunt ea omnia quæ casu fiunt. ut si quis cum rus proficiscitur, de cælo tangatur, aut terræ motus fiat, aut fodiens thesaurum inueniat. Neque enim profectio illa causa est magis cur ille tangatur, quàm nō tangatur. sed alterutrum euenit. Nunc his ita constitutis dicamus quando conclusio sequitur necessaria, si tam propositio quàm assumptio sit de eo quod fieri cōtingit. Ac primū de prima dispositione. Si de toto genere utraq; dicat, etiā conclusio sequetur quæ omnino enunciet. Exemplū erit huiusmodi,

Omne quod uigilat dormire potest,
Omnis homo uigilare potest,
Omnis igitur homo potest dormire.

Itémq; necessaria sequitur cum propositio omni ex parte negat quid, & in totum dicit affirmatio. ut,

Fieri potest ut nihil quod fodit, thesaurum inueniat,
Fieri autem potest, ut omnis homo fodiat,
Fieri igitur potest, ut nullus homo inueniat thesaurum.

Tertia erit conclusio necessaria, cū propositio de toto genere dicet, & de parte assumptio.

Omne quod ægrotat, ex morbo conualescere potest,
Aliquis autem homo ægrotare potest,
Aliquis igitur homo potest conualescere.

Quarta autē sequetur, si propositio in totū negabit, & ꝓpositio aliqua ex parte dicet. Hæc enim necessaria est,

Fieri potest, ut nihil eorum quæ nauigant, moriatur in mari,

Fieri autem potest, ut aliquis homo nauiget,

Fieri igitur potest, ut aliquis homo in mari minime moriatur.

Atque hæc quidem quatuor conclusionum genera perfecta dicuntur, quòd directum ordinem quē prima tractandorum argumentorum forma præscribit, in ijs seruet conclusio. Rectus autem ordo in concludendo in ea forma est, cum uerbū quod in propositione attribuitur, attributi etiam uim & locum obtinet in cōclusione, & quod in assumptione subiectum erat, id in conclusione etiam subijcitur. Cōuersus autem est, cum hic ordo mutatur, aut certe enunciatio aliqua pro assumptione, aut propositione subijcitur, quæ idem quod illa declaret. Disciplinam autem conuersionum, quam primo libro tradidi hic conuersus ordo desyderat, ut sciamus quæ in quāq; conuertatur enunciatio. Atque hic quidem notandum est, enunciationem eam quæ de eo quod contingit, dicit uniuerse ac in totum, conuerti in eam quæ in totum negat. ut hæc, Fieri potest ut nemo ambulet, in hāc cōuertitur, Fieri potest ut omnis homo ambulet. Quibus positis, hoc intelligendum est, multos modos conclusionum ex eo quod fieri potest nasci, qui perfecti non sint, sed imperfecti uocentur propter assumptionis aut propositionis cōuersionem. Si enim minus conuertatur, iam non erit perfecta ratiocinatio. Nam si inuertatur ordo

superiorum quatuor conclusionum, ut quæ in illis propositio est, in his sit assumptio & contrà, erit non perfecta tractatio. Quòd si altera conuertatur, iam perfecta erit. Neque enim, exempli causa, perfecta est hæc argumentatio,

Fieri potest ut omne quod nauigat, in mari moriatur,
Fieri autem potest ut nemo nauiget,
Fieri igitur potest, ut nemo moriatur in mari.

Vt autem certum aliquid habeamus, quo falsas ex eo quod contingit enunciationes à ueris internoscamus, scire oportet, in omni eius generis enunciatione duplicem spectādam esse sententiam. Nam, exempli causa, huius enunciationis, Accidit ut omne quod album est, sit animal, hæc sentētia esse potest, Accidit ut omni cui album fortuitò (teramus enim hoc uocabulū & superiora pro illo contingenter) cōuenit, etiā animal fortuitò cōueniat, id est ut quicquid fortuitò album est, id etiam fortuitò sit animal, quæ quidem falsa est sententia. Itémque illa esse potest, Accidit ut omni cui album conuenit, animal fortuitò conueniat. quæ etiam falsa est, si id contingere dicamus quod non est necessarium. Aliquod enim animal est, ut cygnus, quod sit album necesse est. Ita non fortuitò albus est cygnus. Sed uereor ne de his uidear subtilius disputare. Itaq; malim hæc ego ad cōmunem omnium sensum accommodari, ut id contingere, accidere, & euenire dicamus, quod casu fit, & quod potest tā fieri quàm non fieri. ueluti cum dicimus, Accidit ut

ægrotarem, fieri potest ut æger ex morbo conualescat, aliáq; generis eiusdem. Nunc quoniam quatuor modos cõclusionum necessariarum ex eo quod potest fieri & non fieri, qui perfecti sunt in prima forma dispositionis exposuimus, ad alia pergamus. Neque enim nobis propositum est eos omnes persequi, quorum nõ est perfecta conclusio. In altera autem dispositionis forma si omnibus enunciationibus uerbum hoc contingit uel euenit adiungatur, conclusio necessaria non sequetur. Quòd si quæ ratiocinationes ex his conficiantur, quæ ipsæ firmæ sint, facilè una ratione omnes refelli poterunt. Neque enim hæc necessaria conclusio est,

Accidit ut omnis homo ambulet,
Accidit ut equus nullus ambulet,
Accidit igitur ut nullus equus sit homo.

Veræ enim sumptiones sunt, & falsa conclusio. quippè cum necesse sit nullum equum esse hominem, ex quo efficiatur falsum esse, accidere ut nullus equus sit homo. Hoc loco ea omnia maximum nobis adiumentum afferent, quæ de enunciationibus necessarijs & ijs quæ de eo dicunt quod fieri potest & non fieri, primo libro tradidi. Dixi enim eas omnes necessarias esse, quæ omni ex parte negarent ea quæ diuersis generibus subiecta essent, quorum neutrum alterum complecteretur. Cuiusmodi est hæc, Nullus equus est homo. Nec uero hac una ratiocinatione resistemus, sed etiam omnibus quæ ex eisdem tribus uerbis constabunt, dum modo eadem

ratione illa ipsa uerba collocabimus, quâ aduersarij suas confecerint argumētationes. ut si, exempli causa, propositionem nobis afferant, quæ in totū & uniuerse neget, & propositionē quæ de toto genere dicat, & conclusio neget ex omni parte, eadem ratione si utamur ijsdem uerbis refellemus hoc modo,

Accidit ut nullus homo uigilet,
Accidit ut omnis equus uigilet,
Accidit igitur, ut nullus equus homo sit.

Quod fit etiam in cæteris. In tertia porro forma dispositionis, si tam propositio quàm assumptio aut de incerta parte dicant, aut de certa, nō sequetur necessaria conclusio. Atq; uno modo uitiosis huius generis conclusionibus occurremus, si ex his tribus argumētatio cōficiatur uerbis, equus, homo, albū, ut albi uerbū bis dicatur ante conclusionem. Est enim hæc uitiosa & falsa conclusio.

Accidit ut aliquid quod est album sit equus,
Accidit ut aliquid quod album est sit homo,
Accidit igitur ut aliquis homo sit equus.

Multæ autē aliæ sunt nō necessariæ, quas facile refellemus cognitis necessarijs. Modi qui cōuersione fiūt perfecti, multi sunt. Primus is cuius tam propositio quàm assumptio de toto genere dicunt, Nam conuersa assumptione in eā quæ de quadā parte dicit, tertius erit primæ dispositionis modus. Vtriusque exempla ponam. Tertiæ quidem dispositionis primus modus est huiusmodi,

Accidit ut omnes qui nauigant in mari moriantur,

Accidit ut omnes qui nauigant sint homines,
Accidit igitur ut homines in mari moriantur.
Si hæc conclusio negetur, aut cæteræ quæ in hac forma dispositionis necessariæ sunt, facilè confirmari poterunt, si ad certam perfectámque primam reuocentur. Veluti ea quam exposui ad tertium primi generis modum ita transferetur assumptionis conuersione,
Accidit ut omnes qui nauigant in mari moriantur,
Accidit autem ut homines nauigent,
Accidit igitur ut homines in mari moriantur.
Eadem est ratio cæterorum modorum quorum conclusiones sunt necessariæ. Nam ut summatim dicam, quatuor alij sunt modi necessarij, qui totidem respõdent ijs quos paulò antè in huius tertiæ formæ argumentationibus ex simplici uerbo sine ulla nota enumerauimus. Secundus enim est cum omnino tum propositio negat, tũ dicit assumptio. Tertius cũ propositio de toto genere, & sumptio de aliqua parte dicit. Quartus cum contrà propositio de parte dicit, & de toto genere assumptio. Quintus cùm propositio in totum negat, & assumptio de parte dicit. Ita unus is modus relinquitur, cuius propositio aliqua ex parte negat, & uniuersè ac in totum dicit assumptio. Atque hæc quidem de ratiocinationibus quæ uerba tãtum simplicia, & notas recipiũt. Nunc pauca dicenda de ijs sunt, in quibus mixta hæc reperiuntur. Harum autem genera tria sunt: alij enim unt ex necessario & uerbo simplici: Aliæ ex eo quod

fieri potest & non fieri, quod cõtingens uocatur, & ex uerbo simplici: Aliæ ex necessario & ex eo quod fieri potest & non fieri. Quoniam autem primum de ijs ratiocinationibus simplicibus diximus, quæ ex uerbo est, aut eo quod adiectiuũ uocant, constant: deinde eas quæ ex necessario tãtum essent, attigimus, primum etiam de eis disseremus quæ ex his duobus concretæ sunt. Earum autem exemplum est eiusmodi,

Omnis uirtus necessariò est laudabilis,
Omnis autem fortitudo uirtus est,
Omnis igitur fortitudo necessariò est laudabilis.

In primo quidem argumentorum disponendorum genere ita deniq; necessaria sequetur conclusio, si propositio ex necessario constet, & ex uerbo simplici assumptio: tum enim conclusio in qua necessariũ est, sequetur. Hoc autem in quatuor huius formæ modis ijs qui perfecti à nobis appellati sunt, uerè dicitur. Non est necesse omnium exempla ponere. Si quis enim eos quatuor cõclusionis modos, quos tum tractaui cum de ratiocinationibus quæ ex uerbo est constant, disputarem, sibi proponat, earúmq; propositionibus & conclusionibus necessariò aduerbium adiũgat, exempla huius loci habebit propria. Quòd si uerbum simplex ad eorũ quatuor modorum propositionem, necessariũ autem ad assumptionem pertineat, conclusio necessaria non sequetur. Refelletur enim facile his argumentationibus, si quis contendat firma esse argumenta,

Omne animal mouetur,
Omnis homo necessariò est animal,
Omnis igitur homo necessariò mouetur.
Omne animal mouetur,
Aliquis homo necessariò est animal,
Aliquis igitur homo necessariò mouetur.

In secunda autem dispositionis forma, quoniam omnes concludendi modi negant, si necessariò aduerbium propositioni uel assumptioni quæ negans est omnino, adiungatur, semper ex ijs duabus conclusionem ex necessario efficere licebit. Quòd si ad eam quæ aiens est seu propositionem seu assumptionem illud necessariò addatur, aut ad negantem ex parte, necessaria eiusdem generis non sequetur conclusio. Vt enim hæc argumentatio necessaria est, cateraq; eiusdem generis,

Nullus lapis est animal necessariò,
Omnis homo est animal,
Nullus igitur homo est necessario lapis.

Vt inquam hæc necessaria est, sic illa non est,

Omnis homo necessario est animal,
Nihil quod est nigrum est animal,
Nihil igitur quod nigrum est, animal sit necesse est.

Itemque hæc infirma est,

Omne quod nigrum est homo est,
Quoddam autem animal non est homo necessariò,
Quiddam igitur quod albū est, non est homo necessariò.

Atque etiam alias uitiosas argumentationes huius ge-

neris eadem ratione licebit refellere.

In tertio autem genere tractandorum argumentorum hoc tenendum est, ex ijs sumptionibus quæ de toto genere dicant, si alterutri necessariò aduerbium adiungatur, necessariam eiusdem generis sequi conclusionem. quod idem fiet, si ei quæ negans est adiungatur. At si ad aientem adhibeatur, non sequetur conclusio. Primi generis exemplum erit eiusmodi,

Omnis uirtus necessariò est laudabilis,
Omnis uirtus eum in quo est perficit,
Aliquid igitur quod eum in quo est perficit, necessariò est laudabile.

Secundi autem erit tale,

Nulla uirtus perturbatio sit necesse est,
Omnis uirtus est laudabilis,
Aliquid igitur quod est laudabile perturbationem esse necesse non est.

Tertij autẽ generis hoc exẽplo uitiosas licebit refellere,

Nihil quod ambulat est homo.
Omne quod ambulat necessariò mouetur,
Aliquid igitur quod mouetur, necessariò nõ est homo.

In hac etiam necessariũ erit argumentum, cum uel propositioni uel assumptioni quæ sola de toto genere dicat & de parte altera, idem adiungetur aduerbium. Ac de ijs quidem ratiocinationibus quæ concretæ sunt ex necessario & uerbo simplici, hactenus. Sequitur ut de ijs dicam quæ ex uerbo simplici cõcretæ sunt, & ex eo

quod fieri potest & non fieri. Huius autem generis exemplum est huiusmodi, in prima forma dispositionis,
Accidit ut omne animal ambulet,
Omnis autem homo est animal,
Accidit igitur ut omnis homo ambulet.
Huius quidem generis ratiocinatio per quatuor primæ formæ disponendorum argumentorum modos qui perfecti sunt explicata, ita uera & perfecta erit, si propositio de eo quod fieri potest aut contingit uniuerse dicat, aut neget in totum, & ex uerbo simplici tam eo quod substantiuum, quàm eo quod adiectiuum uocant, constet assumptio. Tum enim necessaria sequetur conclusio ex eo constans quod fieri potest. Quòd si ad sumptionem hoc uerbum accidit addatur, firmum quidem erit argumentum, sed imperfecta ratiocinatio, si modò ipsa sumptio de toto genere dicat. Prioris generis iam posui exemplum. Alterum erit tale,
Accidit, ut nullum animal ægrotet,
Omnis autem homo est animal,
Accidit igitur aut fieri potest ut nemo homo ægrotet.
Posterioris generis talis est tractatio,
Nullus homo ægrotat,
Fieri autem potest ut nihil quod ambulat sit homo,
Fieri igitur potest ut nihil quod ambulat ægrotet.
Cum autem uel assumptio ex uerbo simplici negat ex parte, uel ipsa in totum dicit aut negat, de parte autem dicit negátue ex parte assumptio, aut utraque ad par-

tem, neutra ad totum genus accommodatur, necessaria non sequitur conclusio, utrumuis uerbum siue simplex, siue contingit adhibeatur. Hæ enim nō sunt necessariæ,

Omne animal contingit dormire,
Nix non est animal,
Niuem igitur contingit non dormire.

Omne quod mouetur, est corpus,
Fieri autē potest uel accidit, ut omne animal moueatur,
Accidit igitur, ut omne animal sit corpus.

Aliquid quod album est, non est animal,
Accidit autem ut aliqua uestis sit alba,
Accidit igitur ut uestis non sit animal.

Eadem ratione uitiosas omneis huius generis refellere licebit. In secunda autem dispositionis forma, per quatuor concludendi modos tum deniq; necessaria sequetur conclusio, cum propositio uel assumptio quæ negat, cōstabit ex uerbo simplici, ea autē quæ ait, de eo quod fieri potest enunciabit. Si autem contrà fiat, non erit necessaria. Prioris generis talis est tractatio,

Ce Nullus homo est lapis,
sa Accidit, ut omne quod album est sit lapis,
re Fit igitur ut nihil quod album est sit homo.

Posterioris exemplum est huiusmodi,

Accidit ut nemo sit sanus,
Omnis equus sanus est,
Accidit igitur ut nullus equus sit homo.

Tertia porrò dispositionis forma ratiocinatio rectè ex-

plicabitur, quoties tam propositio quàm assumptio de toto genere dicet, aut propositio omni ex parte negabit, & in totum dicet assumptio, si modo alterutra ex uerbo cōstet simplici. Idem fiet si reliquos modos eiusdem formæ eadē ratione tractemus. Exēplū erit huiusmodi,

Omnis homo est animal,

Accidit ut omnis homo sit iustus,

Accidit igitur ut aliquid quod iustum est sit animal.

Si autem utraque de incerta aut certa parte dicat, aut neget ex parte, aut etiam una aiat, & neget altera, necessaria conclusio nō sequetur. Neque enim firmum est hoc argumentum,

Quod album est, equus est,

Accidit ut quod album est sit homo,

Accidit igitur ut homo sit equus.

Si alterutra neget, eadem ratione refellere licebit. Hæc enim conclusio, Accidit ut homo nō sit equus, falsa est.

Restant iam eæ quæ ex necessario & uerbo cōtingit, concretæ sunt. Ratiocinationes quidem ex his duobus concretæ si per primum dispositionis genus tractentur; tum denique necessaria & perfecta sequetur ex uerbo cōtingit conclusio, cùm modis duobus eius dispositionis qui aientes sunt ita utemur, ut propositioni uerbum contingit, assumptioni adiungamus necessarium. Deinde perfecta etiam erit ratiocinatio, cum & cōclusio eiusdē generis sequetur, & reliquos duos modos qui negant, sic explicabimus, ut superiores. Primi

generis hoc erit exemplum, Fieri potest aut accidit, ut omne animal ex morbo conualescat,
Omnis autem homo necessariò est animal,
Fieri igitur potest aut accidit, ut omnis homo ex morbo conualescat.
Secundi generis hæc tractatio est,
Fieri potest aut contingit, ut nullum animal ægrotet,
Omnis autem homo necessariò animal est,
Fieri igitur potest ut nemo homo ægrotet.
Atque hi quidem quatuor concludendi modi perfecti absolutiq; sunt. Imperfecti autem ijdem erunt si uerba cōmutentur, id est si propositioni necessarium adiungatur, & uerbum contingit assumptioni. Exemplum primi generis est,
Omne quod ambulat necessariò mouetur,
Accidit ut omnis homo ambulet,
Accidit igitur ut omnis homo moueatur.
Posterioris generis tale erit,
Nihil eorum quæ nauigant, in mari necessariò moritur,
Accidit, ut omnes homines nauigent,
Accidit igitur ut nulli homines moriantur in mari.
Quòd si mutetur ordo enunciationū quē dixi, ut propositio quæ ex parte dicat aut neget, sit ex uerbo contingit, & ex necessario, quæ aut aiat aut neget quid in totum assumptio, conclusio necessaria non sequetur. Non enim firmum est hoc argumentum,
Aliquid quod est album, est necessario animal,

Accidit autem ut omnis uestis sit alba,
Accidit igitur ut uestis sit animal.

Aliquid quod est album non est animal necessariò,
Accidit autem ut omnis uestis sit alba,
Accidit igitur, ut aliqua uestis non sit animal.

Idem fiet, si propositio quæ dicit de parte ex uerbo cõtingit constet, & ex necessario negans in totum assumptio. Refelletur enim hoc modo, si quod argumentũ huius generis firmum esse uideatur,
Accidit ut aliquid quod album est sit animal,
Nulla autem pix necessariò alba est,
Accidit igitur ut nulla pix sit animal.

Erit etiã uitiosa tractatio, quoties tam propositio quàm assumptio aliqua ex parte negabit, aut de parte dicet. Vitiosa est enim hæc argumentatio,
Aliquid quod nigrum est necessariò est animal,
Accidit ut quod animo caret, sit nigrum;
Accidit igitur ut quod animo caret animal sit.

Iisdem quoque uerbis refelli possunt cætera quæ uitiosa sunt huius generis argumenta. Si qua autem secundæ formæ ratiocinatio ex his duobus conficiatur, semper sequetur ex uerbo contingit conclusio; quoties quatuor modorum huius formæ ea siue propositio, siue assumptio quæ negat, ex necessario constabit. Quòd si ei quæ ait quid adiungatur, uitiosa erit conclusio. Exempla eadem harum erunt quæ superiorum.

In tertia deniq; forma dispositionis argumentorum,

si aientes modos tractemus, ut necessaria ex uerbo cõtingit cõclusio sequatur, satis erit si alterutri necessariũ, aut uerbũ cõtingit adiunxerimus. Itémq; si eos qui negant nobis proponamus, erit satis si alterutri adiungamus. Aliæ etiam cõclusiones hic necessariæ sequuntur, sed his contenti esse debemus. Vitiosæ autem sunt hoc loco omnes, quarum assumptiones & propositiones de parte dicunt, aut negant, etiam si necessarium utrilibet adiungatur. Vitiosa enim hæc est,

Aliquid quod album est, necessario est animal,
Accidit ut aliquid quod album est sit lapis,
Accidit igitur ut lapis sit animal.

Itémque hæc non est necessaria,

Accidit ut aliquid quod laudabile est non sit homo,
Laudabilis autem uirtus est necessario,
Accidit igitur ut uirtus homo non sit.

Ac omnes quidem ratiocinationes quæ ex uarijs uerbis concretæ sunt, quam potui breuißime exposui. Intelligendum est autem alia etiam esse genera, quæ his & alijs uerbis uariari distinguíq; possunt, quæ ab Aristotele prætermissa esse miror. Nam cũ enunciationes quæ ex eo quod fieri potest, & ex eo quod fieri non potest, quod ἀδύνατον uocat, enumeret in libro de interpretatione, eásque aliud atque superiores declarare uelit, mihi quidem certe uidetur quæ ex his ratiocinationes confici poßint, docere debuisse, præsertim cum enunciatio ad ratiocinationem aut argumentationem omnis, ut ad

finem referri debeat. Exempla ponam eorum, ut omnes quid uelim intelligant,

Fieri potest ut omne animal ex morbo conualescat,
Omnis autem homo est animal,
Fieri igitur potest ut omnis homo ex morbo cõualescat.

In altero genere explicando impoßibile aut absurdum cogor dicere,

Impoßibile est omne animal esse lapidem,
Omnis homo est animal,
Impoßibile igitur est omnem hominem lapidem esse.

Ea etiam quæ fieri possunt simplicia & sola possunt esse in ratiocinatione, hoc modo,

Omne quod nauigat, mori in mari potest,
Omnis homo nauigare potest,
Omnis igitur homo mori in mari potest. Ex eo autem quod absurdum est, non sequitur necessaria conclusio eiusdem generis,

Fieri non potest, ut omnis homo sit expers rationis,
Fieri etiam non potest, ut omnis bos sit homo,
Fieri igitur non potest ut omnis bos sit rationis expers.
Absurdum est omnẽ hominem expertem esse rationis,
Absurdum est etiã nullũ bouem esse expertẽ rationis,
Absurdum est igitur nullum bouem essem hominem.

In tertia etiam forma dispositionis uitiosum est eiusdem generis argumentum.

Absurdum est omnem uirtutem esse uitium,
Absurdum etiã est omnem uirtutẽ esse intemperantiã,

Absurdum est igitur aliquã intemperãtiam esse uitiũ. Hæc etiam cum necessario & uerbo contingit misceri possunt, ut necessaria sequatur conclusio.

Fieri potest ut omne animal ægrotet,
Omnis autem homo necessario est animal,
Fieri igitur potest ut omnis homo ægrotet.
Fieri non potest ut nulla uirtus sit habitus,
Omnis autem iustitia uirtus est necessario,
Fieri igitur non potest ut nulla iustitia sit habitus.

Quæ autẽ sequuntur, ex uerbo contingit concretæ sunt, ita ut una admixtum habeat uerbum potest, & non potest altera,

Accidit ut omne quod ægrotet, ex morbo conualescat,
Omnis autem homo ægrotare potest.
Accidit igitur, ut omnis homo ex morbo conualescat.

Quod autẽ fieri nõ potest, et quod cõtingit misceri inter se nequeunt. Neq; enim hæ necessariæ sunt cõclusiones.

Bar . Accidit ut omnis homo nauiget,
ba . Fieri non potest ut omnis lapis sit homo,
ra . Accidit igitur ut omnis lapis nauiget.
Ce . Accidit ut nullus homo in mari moriatur,
la . Fieri autem non potest ut omnis lapis sit homo.
rent . Accidit igitur ut omnis lapis moriatur in mari.

Quòd si in his quæ de toto genere dicunt, aut negant, nõ est firmum argumentum, multò minùs erit in ijs quas ille complexu suo continent, quæ uulgo Darij & Ferio uocantur. Quòd si quis contendat firmum fore argu-

mentum, si propositioni uerbum non potest adiungatur, is uehementer errat. Neque enim hæ conclusiones sunt necessariæ,

Fieri non potest ut omnis lapis sit homo,
Accidit ut omne quod album est sit lapis,
Fieri igitur non potest ut omne quod albū est, homo sit.

Fieri non potest ut nihil quod ambulat moueatur,
Accidit ut omnis homo ambulet,
Fieri igitur non potest, ut nihil quod mouetur sit homo.

Idem fiet si uerbum contingit adiungatur conclusioni. Exempla erunt eiusmodi,

Fieri non potest ut omnis homo sit lapis,
Accidit ut omne quod nauigat sit homo,
Accidit igitur, ut omne quod nauigat sit lapis.

Fieri non potest ut nullus homo sit animal,
Accidit ut omne quod nauigat sit homo,
Accidit igitur ut nihil quod nauigat homo sit.

Exempla tantum posui modorum primæ dispositionis. Quòd si mihi esset propositum hæc omnia ad artem redigere, facile id possem. Si quis autem id obseruare ac notare uelit, non est dubium, quin præcepta poßit tradere. Quapropter ad propositum reuertamur. Hoc autem intelligendum est, quemadmodum expositis tribus argumentorum disponendorum generibus, quæ per ratiocinationes tractarentur, eas in quibus uerbum substantiuum, aut adiectiuum quod uocant, reperiretur, omnes argumentorum locos, qui à nobis superiore libro

explicati sunt, per illa tria genera tractari posse docui: sic posse me docere eosdem tam ad simplices ex necessario, quam ad eas quæ concretæ ex eo sunt, & uerbo simplici posse accommodari. Sed quoniam quæstiones huius generis rarò incidunt in disputationem, longúmq; esset si agere uellē de singulis, hoc tantū dicā, si quādo einsmodi quæstiones et sermones inferātur, locos cōmunes aliter explicandos esse, atq; eos quos superiore libro tradidi. Nam illic omnino dicebatur, exempli causa, Cui forma conuenit, ei etiā genus conuenire: propterea quòd ea solum uerba adhibebantur in argumentis, quæ solum conuenire, seu inesse significabant. Hic autem, quoniam uerba alia adiunguntur, ut necesse esse, accidere, posse, non posse, habenda est eorum ratio in exponēdis ijsdem locis communibus. Quod quò facilius intelligatur, ponamus exēplum. Si quæratur, Sit'ne iustitia necessariò habitus? Quæstio est generis. eáque à genere confirmabitur hoc modo,

Omnis uirtus necessariò est habitus,
Omnis iustitia est uirtus,
Omnis igitur iustitia habitus est necessariò.

Locus est communis, Quod toti generi necessariò conuenit, id formæ cuilibet eius generis necessariò cōuenire. Rursus quæratur, Sit'ne id omne quod natum est, necessariò interiturum? id probabitur hoc modo,

Quicquid ex igne, aëre, aqua, & terra concretum est, id necessario interibit,

Omne autem quod natum est, concretum est ex his quatuor,
Omne igitur quod natum est, intereat necesse est.
Quæstio est accidentis: ea confirmatur loco consequentium. Locus communis, Quicquid toti consequenti necessario conuenit, id necesse est antecedenti conuenire. Quod enim concretum est ex quatuor elementis & initijs, consequens est eius quod natum est, aut certè eius est antecedens. Exempla etiam ponamus aliorum. fingamus hanc quæstionem poni, fieri'ne poßit ut audacia sit fortitudo? Ea refelletur à genere hoc modo,
Fieri non potest ut uitium sit fortitudo,
Omnis autem audacia est uitium,
Fieri igitur non potest, ut audacia sit fortitudo.
Quæstio est generis, quæ loco generis refellitur. Locus communis, Quod generi non potest conuenire, nec formæ potest: fortitudo enim uitio quod genus est audaciæ non potest conuenire, ex eóque formæ eius non posse cõuenire concluditur.

Quæstiones autem ex uerbo contingit, aut nullæ aut eæ tantummodo quas nõ naturales primo libro uocauimus, incidere uidebuntur. Naturales enim in superiores locos incurrere posse non uidebuntur, propterea quòd ijs locis ita aliquid conuenire aut nõ conuenire alicui docetur, ut aliter fieri non poßit. Vt autem non naturales incidere interdum concedamus, non tamen loci illi per ratiocinationes quæ ex uerbo contingit aut solo, aut coniunctо cũ

altero constant, tractari possunt. Sed tamen loci illi ad naturales quæstiones accommodari possunt. Vt si quæratur, An usuueniat, ut omnis homo in mari moriatur? & id probetur, hoc modo,

Accidit ut omne animal in mari moriatur,
Omnis autem homo est animal,
Accidit igitur, ut omnis homo moriatur in mari.

Quæstio est accidentis, eáque naturalis, & in eam generis locus adhibetur. Locus communis, Quod accidit ut toti generi conueniat, accidere etiam ut formæ generi cõueniat. quòd enim accidit ut in mari mori toti generi animalium conueniat, ex eo accidere ut hominibus conueniat, concluditur. Nec uerò id uerum est tantum in ijs ratiocinationibus in quibus uerbum contingit & substãtiuum uel adiectiuum miscentur, sed in ijs etiam quæ eodem uerbo & necessario distinguntur. Vt si idem quæratur, quod supra, hoc modo concludi licebit,

Accidit ut omne animal in mari moriatur,
Omnis autem homo necessariò est animal,
Accidit igitur ut omnis homo moriatur in mari.

Quæ cum ita sint, iam perspicuũ esse arbitror, per huius etiam generis ratiocinationes, locos omneis quos secũdo libro exposuimus, posse tractari. Illud etiam perspicuum est, non modo locos hic cõmunes ad naturam uerbi aut uerborum ex quibus ratiocinationes nominãtur, esse accommodãdos, sed quemadmodum etiam sint accommodandi. Itaque cuiusque loci quinque communes

unius ordinis esse possunt. Nam, ut de genere potißimũ dicam, primus illius hic erit, Quod toti generi conuenit, id illius formæ conuenire. Secundus, Quod toti generi necessariò conuenit, id eius formæ necessariò conuenire. Tertius, Quod toti generi potest conuenire, id eius etiam formæ conuenire potest. Quartus, Quod accidit, ut cadat in totum genus, accidere ut in eius formam cadat. Quintus, Quod toti generi non potest conuenire, id nec eius formæ potest. Ita fit, ut generibus enunciationum simplicium, ratiocinationũ etiam simplicium genera respondeant. Sunt enim ut eius generis enunciationum quinq; genera, sic etiam ratiocinationum, ut ratiocinationem ex cõclusione nominemus. Ex quo illud etiam perspicuum est, nos totidem quæstionũ genera posse numerare. Vt unum genus dicamus id quo omnino quæritur, an res nec'ne conueniat: alterum quo quæritur, poßit'ne conuenire: tertium, an nõ poßit: quartum, an accidat ut conueniat: extremum, an necessariò? Quòd si quis ea teneat, omnia quæ de illis enunciationum generibus in primo libro tradidi, multo facilius & omnia hæc ratiocinationum genera conficere, & per ea omneis locos tractare poterit. Sed tempus est, ut ad copulatas & cõpositas ratiocinationes quas græci ὑποθετικὰς uocant, ueniamus. Copulata autem ratiocinatio est, quæ ex connexis tribus constat: aut ea cuius propositio duas enunciationes simplices complectitur, quarũ una sumpta aut negata, altera sequitur aut tollitur. Primi generis tale

exemplũ est, Si dies est, nox nõ est, Si nox nõ est, sol lucet, Si igitur dies est, sol lucet. Secundi generis eiusmodi, Aut dies est, aut nox, Dies autem est, Non igitur nox. Eius sunt tria genera quibus Cicero utitur, unum ex connexis, alterum ex disiunctione, tertium ex coniunctionũ negantia. Primi generis exẽplum est huiusmodi, Si uirtus est laudabilis, uirtus est expetenda, Est autem laudabilis, Expetenda igitur est. Secundi tale, Aut dormit, aut uigilat, Dormit autem, Non igitur uigilat. Tertij hoc, Non & iustitia uirtus est, & non est expetenda iustitia, Est autem iustitia uirtus, Expetenda igitur. De his tribus generibus pauca dicenda sunt eo quem proposui ordine. Primum quidem genus in duas partes distributũ est. Prioris partis exemplum est eiusmodi, Si omnis uirtus est laudabilis, expetẽda est, Omnis autem uirtus est laudabilis, Omnis igitur uirtus est expetenda. Alterius, ut, Si uirtus est laudabilis, est expetenda, Si expetẽda, bonum, Si igitur uirtus est laudabilis, uirtus est bonum. Vtriusque autem generis rursus partes multæ sunt, de quibus singillatim dicendum est. Posterius quidem genus à græcis δι' ὅλου ὑποθετικὸν, id est, ex toto connexum dicitur, quòd tam propositio, quàm assumptio & conclusio connexum complectitur. Prius autem οὐ δι' ὅλου ὑποθετικὸν, id est, non ex toto connexum, quòd sola propositio sit connexum. De posteriore genere primum dicam, propterea quòd ad simplicium ratiocinationum similitudinem, quemadmodum

docebimus, proximè accedit. Huius quidē generis tres sunt, ut Boëthius tradit, collocationes & dispositiones. Prima est cum enunciatio cōnexi, quæ secunda est, proponitur, uel aiens, uel negans. Prima uel aiens, uel negās assumitur. ut, Si iustitia est uirtus, iustitia est habitus. Si iustitia est habitus, iustitia est qualitas, Si igitur iustitia est uirtus, iustitia est qualitas. Secunda est cū ea enūciatio quæ antecedit in propositione, prima quidem assumitur, sed ita, ut si primo loco aiat, in secundo neget: & contrà, si neget, aiat. ut si est homo, est rationis particeps: & si non est homo, est rationis expers. Si igitur non est homo, est rationis expers. Tertia est cum enunciatio quæ in propositione consequitur, secunda etiam assumitur. ut, Si animal est, sentiens est: Si uacat sensu, sentiens non est: Si igitur animal est, sensu non uacat. Ac prima quidem forma dispositionis ex enunciationibus constat eiusdem modi: reliquæ autē duæ ex diuersi modi enunciationibus. Enunciationes autē eiusdem modi, quas Boëthius æquimodas uocat, eæ sunt, quarū in utraque idem uerbum uel ait, uel negat. ut in hac ratiocinatione, Si homo est, animal est: & si homo est, nō est expers rationis: Si igitur homo est, non est rationis expers. in hac inquam ratiocinatione, hoc uerbum homo semper ait. Non sunt autem eiusdem modi eæ, quarum in utraque idem uerbum non eodem modo enunciatur, sed in una ait, et nègat in altera. ut in hac ratiocinatione, Si dies est, sol collucet: & si dies non est, nox est: Si igi-

tur sol collucet, nox non est: in hac inquã aliâs dies ait, aliâs negat. Tres autẽ hæ dispositiones octo modis uariari distinguiq; possunt. Hæc autẽ uarietas & distinctio ex propositionis, assumptionisq; commutatione spectatur. Hæ enim duæ, exẽpli causa, Si uigilat, sensibus utitur: Si sensibus utitur, non stertit, octo modis commutari possunt. Primo, si enũciationes quatuor aiant: secũdo si tres primæ aiant, & neget extrema: tertio, si prima & postrema aiãt, & mediæ negent: quarto, si sola prima aiat, & negent cæteræ: quinto, si contrà prima neget, & reliquæ aiant: sexto, si prima & extrema negent, & mediæ aiant: septimo, si primæ tres negent, & aiat extrema: octauo, si negent omnes. Atq; hi quidem modi octo à propositionis & assumptionis, ut dixi, uarietate ducuntur. Sit ergo primus primæ dispositionis modus cum quatuor enunciationes aiunt, ut sumpta prima, extrema ponatur. Exemplum erit huiusmodi,

Si iustitia est, uirtus est,
Et si uirtus est, laudabilis est,
Si igitur iustitia est, est laudabilis.

Cum autẽ primæ tres aiunt, & negat extrema, ut sumpto primo extremum tollatur, tum secundus appellatur concludendi modus,

Si nox est, sol est infra terram: si sol est infra terram, nõ est dies: si igitur nox est, non est dies.

Tertius autem est, cum prima & extrema aiunt, & mediæ negant, sumptáque prima, extrema ponitur.

Exemplum est huiusmodi,

Si dies est, non est sol sub terra, &, Si sol non est sub terra, est supra terrã, Si igitur est dies, sol supra terrã est.

Cũ autẽ prima ait, et tres reliquæ negant, sumptáq; prima, extrema tollitur: quintus est modus cõclusionis, ut, Si dies est, sol non est sub terra, Si sol non est sub terra nox non est, Si igitur dies est, nox non est.

Sextus est cũ prima et postrema enũciatio negat, mediæ autem aiunt, sublatáq; prima, postrema etiã tollitur, ut, Si non est dies, nox est, Si nox est, sol non est supra terram, Si igitur non est dies, sol supra terram non est.

Septimus est cum tres primæ negãtes sunt, & aiens extrema, sublatáque prima, relinquitur extrema, ut,

Si non ualet, non est firma corporis affectione,

Si non est firma corporis affectione, est infirma,

Si igitur non ualet, est infirma affectione corporis.

Octauus est cum tam antecedentia quàm consequentia negant, primóque eo quod antecedit, negato, negatur etiam extremum consequens.

Si non est infirma constitutione corporis, non ægrotat,

Si non ægrotat, febre non iactatur,

Si igitur non est infirma constitutione corporis, febre non iactatur.

Atque hi quidem sunt octo primæ dispositionis modi, qui directò concludunt. Octo autem sunt etiam alij, qui ijsdem manentibus tam propositione quàm assumptione, non ex prima extremam efficiunt, sed contrà, confir-

mata aut sublata postrema, primam interdum tollunt, interdum probant. Ego ne longior sim, superiorum modorum propositiones & assumptiones non repetam, sed uniuscuiusque tantummodo commutabo conclusionem. Primi quidem hæc conclusio est, Si igitur iustitia est, ea est laudabilis. Conuerte ordinem effatorum, & ex aiẽtibus ea fac negantia, hoc modo,

Si igitur non est laudabilis, nec iustitia est: tum primum modum habebis eorum qui conuerso ordine cõcludunt.

Secundi hæc conclusio est,

Si igitur nox est, non est dies, conuerte eam ut superiorem hoc modo,

Si igitur est dies, non est nox, secundus erit conuerso ordine cõcludendi modus. Quod in cæteris etiam eodem modo faciundum est. Eadem breuitate modos secundæ collocationis explicemus. Primus quidẽ modus est, cum tertia enunciatio negat, & aiunt cæteræ, secundáque sublata, quarta confirmatur, hoc modo,

Si ægrotat, in morbo est, Si non ægrotat, ualet, Si igitur non est in morbo, ualet.

Secundus est, cum duæ primæ aiunt, & reliquæ negãt, sublatáq; secunda tertia ponitur, ut si sol lucet dies est, Si sol non lucet, sol non est supra terram, Si igitur non est dies, sol non est supra terram.

Tertius est, cum aientes sunt prima & postrema, & negantes mediæ, confirmatáque secunda, etiam confirmatur extrema, hoc modo, Si dies est nox non est,

Si dies non est, sol nobis oblitescit,
Si igitur nox est, sol nobis occultatur & oblitescit.
Cum autem prima ait, & sequentes negant, confirmatáque secunda quarta tollitur, quartus est secundæ collocationis modus. Exemplum erit huiusmodi,
Si uigilat, non dormit:
Si non uigilat, non utitur sensibus:
Si igitur dormit, sensibus non utitur.
Quintus autem est, cum prima negat, & cæteræ aiant, & secunda negata, quarta confirmatur, hoc modo,
Si non dormit, uigilat,
Si dormit, sensuum munere caret,
Si igitur non uigilat, sensuum caret munere.
Sextus est, cum prima & extrema negant, & mediæ aiunt: negatáque secunda, postrema etiam negatur, & tollitur.
Si non ualet, ægrotat,
Si ualet, non laborat è capite,
Si igitur non ægrotat, è capite non laborat.
Septimus est, cum duæ primæ negant & reliquæ aiunt, confirmatáque secunda, extrema quoque confirmatur.
Si non uigilat, non utitur sensibus,
Si uigilat, uiuit,
Si igitur utitur sensibus, uiuit.
Octauus est, cum tertia ait, & reliquæ negant, & secunda sumpta, quarta tollitur.
Si nox non est, sol nobis non oblitescit,

Si nox est, dies non est,
Si igitur sol nobis oblitescit, dies non est.
Extrema siue tertia reliqua est forma dispositionis. Eius etiam octo sunt conclusionis modi. Primus est, cum tres primæ aiunt enunciationes, & negat extrema, ut sumpta prima, tertia tollatur, hoc modo,
Si dies est, sol collucet. Si est nox, sol non collucet,
Si igitur dies est, nox non est.
Secundus est, cum duæ primæ aiunt, & reliquæ negāt, sumptáque prima, tertia confirmatur, Exemplum erit huiusmodi,
Si est dies, sol lucet,
Si sol non est supra terram, sol non lucet,
Si igitur est dies, sol est supra terram.
Cum autem prima & postrema negant, aiunt autem mediæ, primáque negatur, ut etiam negetur tertia, tertius est concludendi modus. Cuius talis est tractatio.
Si non est infirma corporis constitutione, ualet,
Et si ægrotat non ualet,
Si igitur infirma corporis constitutione non est, non ægrotat.
Quartus uerò est, cum secunda ait, & negant cæteræ, & ex prima negata, tertia aiens concluditur, hoc modo,
Si dies non est, sol nobis oblitescit,
Si autem non est nox, sol nobis non oblitescit,
Si igitur dies non est, nox est.

Quintus est, cōtrà cum secunda negat quid, & reliquæ aiunt, sumptáque prima, tertia negatur. Eius tale erit exemplum,

Si uigilat, sensuum munere non priuatur,
Si autem dormit, sensuum munere priuatur,
Si igitur uigilat, non dormit.

Sextus tertio contrarius est, cum prima & postrema aiunt, & reliquæ negant, sumptáque prima, tertia tollitur, hoc modo,

Si dies est, sol non lucet, Si non est nox, sol lucet,
Si igitur dies est, non est nox.

Septimus est, cum duæ primæ negāt, & aiunt reliquæ, sumptáque prima, tertia tollitur, ut,

Si dies non est, sol non lucet,
Si sol nobis apparet, sol lucet,
Si igitur non est dies, sol nobis non apparet.

Octauus est cum postrema ait, & reliquæ negant, sumptáque prima, tollitur tertia, hoc modo,

Si non uigilat, non utitur sensibus,
Si non dormit, sensibus utitur,
Si igitur non uigilat, dormit.

Atque hi sunt omnes concludendi modi secundæ & tertiæ dispositionis, quoties directò aliquid concluditur, Cum autem eorum omnium conclusiones ita conuertantur, ut dixi in primo genere collocationis, id est cùm manentibus iisdem propositionibus siue assumptionibus, ita ex tertia prima concluditur, ut quæ prius aiebat,

ea iam neget, & contrà, cum in vtraque, octo aliæ nascuntur conclusiones. Nam si exempli causa, superioris modi hæc conclusio, Si igitur non vigilat, dormit conuertatur hoc modo,

Si igitur non dormit, vigilat,

necessaria ex superioribus conclusio sequetur. Hæc enim necessaria est,

Si non vigilat, non vtitur sensibus,

Si non dormit, vtitur sensibus,

Si igitur dormit, non vigilat,

Quod eodem modo de reliquis iudicandum est. Ex quo perspicuum est, harum trium dispositionum octo & quadraginta esse concludēdi modos. Quod si quis putet tum recto ordine, tum conuerso plures posse cōfici, is uehemēter errat. facilè enim refelletur, in eóque perficiendo, superiora exempla valebunt plurimum. Ac Boethius quidē hunc dispositionum ordinem tradidit. Ego autem malim eam quam tertiam posuit, dici secundam: quoniam si, id quod faciendum esse dixi, ad simplices formas treis reuocentur, ea quam tertiam ponit, secunda erit, & secunda tertia. Quod facilè doceri potest. Nam si hic octauus tertiæ dispositionis modus eorum, qui directò concludunt,

Si non vigilat, non vtitur sensibus,

Si non dormit, sensibus vtitur,

Si igitur non dormit, vigilat: ita tractetur,

Nihil quod non vigilat, sensibus vtitur,

Omne autem animal quod nõ dormit, utitur sensibus,
Nihil igitur quod non dormit, vigilat:
si inquã modus ille hoc modo tractetur, nõ est dubiũ, quin ad primum modum secundæ dispositionis simplicis reuocetur. Eadem est ratio eius quam secundam posuit. Nam si exempli causa, hic octauus secũdæ dispositionis modus eorum, qui non directò concludunt,
Si nox non est, sol nobis non oblitescit,
Si nox est, dies non est,
Si igitur dies est, sol nobis non oblitescit,
ita tractetur, vt id quod in assumptione antecedit, neget, & id aiat quod consequitur, ad secundum tertiæ simplicis modum pertinere intelligetur,
Nunquam cum nox non est, sol nobis oblitescit,
Quotiescunque autem nox non est, dies est
Quando igitur dies est, sol nobis non oblitescit.
Ex quo perspicuum est, eos modos quorum non directam conclusionem esse dixi, directò si ad fontes referantur, concludere. Prima autem huius generis facile ad primam dispositionem earũ quæ simplices dicũtur, reuocari potest, si ex propositione fiat assumptio. Nam si exempli causa hic primus modus,
Si est particeps rationis, est homo,
Si est homo, est animal,
Si igitur est particeps rationis, est animal: tractetur hoc modo,
Omnis homo est animal,

Aliquis qui est particeps rationis, est homo
Aliquis igitur qui est rationis particeps, animal est: si inquam hoc modo tractetur, non est dubium quin ad tertium modum primæ dispositionis simplicis pertineat. Ex quo illud etiam perspicuum est, eam quã quartam simplicis dispositionis formam nonnulli, vt Aristotelem refellant, qui tres tantum statuit, inducunt, facilè ad primã posse reuocari. Reuocari autem dico cũ Cicerone quod Aristoteles ἀνάγεσθαι, alij verbum è verbo reduci dicunt, pro quo malim redigi (quod etiã verbum pro verbo redditur) dici. Est enim idem uerbum Ciceronis, qui in primo de Oratore libro ait, ea quæ quondam dißipata erant, ad artem redacta esse hominum industria. Sed ad rem reuertamur. Atque illud quidem pro Aristotele respondere possumus, quod an satis sit, ignoro. Nam reliquæ duæ dispositiones simplices facilè ad primam reuocari possunt. Ita preter primã nulla necessaria est, aut si duæ reliquæ sunt, hæc etiam quarta eadem ratione erit. Mihi quidem ita videtur, cum præsertim superior ratio refelli non poßit. Quoniam autem modò de reuocandis reliquis ad quatuor primæ dispositionis modos, aliquid diximus, idquemadmodũ fiat commodè hoc loco doceri poterit. A secunda igitur dispositione ordiamur. Eius quidem quatuor modos esse diximus, quorum primus ad secundũ primæ dispositionis sola propositionis conuersione: secundus ad eundem, primùm propositionis

in assumptionem mutatione, deinde & propositionis quæ prius assumptio erat, & conclusionis quæ in totū negat conuersione reuocatur. Tertius autem ad quartum primæ, sola etiam propositionis conuersione. Atque primus et tertius ita faciles sunt, vt probatione nō egeant. Secūdus autem quoniam plura complectitur, obscurior est. Itaque eius reuocandi rationem declarabimus. Constituamus has duas ratiocinationes, quarum prior ad primæ dispositionis secundum modum, posterior ad secundæ secundum pertinet,

Ce Nulla virtus vitium est
la Omnis iustitia est virtus,
rent Nulla igitur iustitia est vitium.
Ca Omnis iustitia est virtus
mes Nullum vitium virtus est
tres Nullum igitur vitium est iustitia:

Posteriorisque assumptionē primo loco ponamus, eāq; conuertamus hoc modo, Nullum vitium virtus est, Nulla virtus vitium est, iam has duas habebimus,

Ce Nulla virtus est vitium,
la Omnis autem iustitia est virtus

Tum conclusionem hanc, Nullum igitur vitiū est iustitia conuertamus hoc modo,

rent. Nulla igitur iustitia est virtus: non est dubiū, quin eadem hæc sit quæ illa ratiocinatio.

Quartus autem modus reuocari nullo modo potest, sed tantum eius necessaria conclusio confirmatur ea

ratiocinatione quæ vrget incommodo aduersarios, de qua mox disseremus. Tertiæ autem dispositionis primus modus ad primæ tertium sola assumptionis quadam ex parte conuersa, reuocatur hoc modo,

Da Da Omne animal sentit,

rap Omne animal viuit. Cōuerte hanc hoc modo,

ri Aliquid quod viuit est animal, Tum tertius erit primæ dispositionis, si concluseris,

ti i. Aliquid igitur quod viuit, sentit

Secundus autē ad quartum primæ dispositionis modū, conuersa aliqua ex parte assumptione reuocatur.

Fe Fe Nullum vitium virtus est,

lap Omne vitium malum est, Conuerte hanc ex parte, hoc modo,

ri Aliquod autem malum vitium est. Eadem erit conclusio,

ton o. Aliquod igitur malum non est vitium.

In tertio autem reuocando plus laboris suscipiendum est. Nam cum ad tertium primæ reuocetur, & ex assumptione propositio facienda est, & ex parte conuertenda, tum assumptio, tum conclusio.

Dis Quædam virtus iustitia est

a Omnis virtus bonum est

mis Quoddam igitur bonum est iustitia.

Da Omnis virtus bonum est

ri Iustitia est virtus

i. Iustitia igitur bonum est

Quartus ad eundem tertium primæ dispositionis reuocatur sola assumptione ex parte conuersa.

Da Da Omnis habitus est qualitas,

tis Aliquis habitus est virtus, Conuerte ex parte assumptionem hoc modo,

ri Aliqua virtus est habitus, Tertius erit quem dixi, hoc concluso,

i. i Aliqua igitur virtus est qualitas.

Quintus non reuocatur, sed ea ratiocinatione, quæ aduersarium vrget incommodo, per primum primæ dispositionis modum tractata confirmatur. Sextus autē ad quartum primæ reuocatur, sola ex parte conuersa assumptione. hoc modo,

Fe Fe Nulla virtus fugienda est,

ris. Quædā virtus est iustitia. Hanc conuerte hoc mō

ri Quædam iustitia est uirtus: Eum quem dixi modum habebis, si hoc concludas,

on. o Quædam igitur iustitia fugienda non est,

Quinque autem reliqui primæ collocationis, ad quatuor primos facile reuocantur, uniuscuiusque cōclusione aptè ad eum modum conuersa ad cuius similitudinem proximè accedit. Vt is modus qui Baralipton uulgo dicitur ad primum, itemque cæteri. Sed ad id unde egressi sumus, reuertamur: Eæ igitur ratiocinationes quæ ex tribus cōnexis cōstant, ita, ut dixi, ad tres dispositionis simplicus formas reuocandæ sunt. Non est autem dubium quin per has connexorum formas treis

loci ij, quos superiore libro exposuimus tractari explicaríque poßint. Sed illud notandum est, ex tot modis perpaucos esse, qui ad confirmandum valeant. Nunc restat vt de eo genere in quo sola propositio est connexum, differamus. Eius genera sunt duo: vnum, quo id quod primum est in connexo assumitur, vt id quod annexum est concludatur, alterum, quo id assumitur quod in connexo consequitur. Exemplum prioris generis est huiusmodi,

Si vigilat non dormit, Vigilat autem,
Non dormit igitur.

Posterioris, vt hoc, Si vigilat, non dormi, Non dormit autem, Vigilat igitur. Vtriusq; generis quatuor modi sunt. Primi generis primus modus est, cum vtraque connexi enũciatio ait, & priore sumpta posterior ponitur, hoc modo,

Si omnis virtus expetenda est, iustitia est expetenda,
Omnis autẽ virtus expetenda est, Iustitia igitur est.

Secundus modus est, cum connexi prior pars ait, negat posterior, sumptáque priore, posterior concluditur hoc modo,

Si dies est, nox nõ est: atqui dies est: nox igitur non est.

Tertius est, cum id quod primum est in connexo negat & ait id quod annexum est, primóq; sumpto, id quod relinquitur tollendũm est.

Si virtus non est fugienda, virtus expetenda est, Virtus autem non est fugienda, Expetenda igitur.

Quartus est, cum tam primum quàm id quod ei annexum est negaris, & primum sumpseris, vt secundum concludas,

Si virtus non est fugienda, vitium non est expetendũ,

Virtus autem fugienda non est.

Non est igitur expetendum vitium,

Ac primi quidem generis quatuor modos exposuimus. Secundi autem primus modus est, cum utrunque connexi membrum ait, negatóque eo quod consequitur, id etiam quod antecedit, negatur, hoc modo;

Si homo est, animal est,

Animal autem non est, Nec homo igitur.

Secundus autem est, cum id quod primum est in connexo ait, & negat id quod annexũ est, sumptoq́; eius quod annexum est contrario, contrarium eius quod antecedebat, concluditur.

Si ualet, non ægrotat,

Aegrotat autem, Nõ igitur ualet. Hic autem modus nisi in repugnantibus & ijs contrarijs quæ medium non habent, non ualet. Tertius est, cum prius connexi membrum negat, & ait alterum, quo negato, confirmatur id quod relinquitur. In ijsdem rebus quibus superior hic quoque firmus est,

Si dies non est, nox est

Non est autem nox, Dies igitur.

Cum autem vtrunque connexi membrum negaris, sumptóque consequentis contrario, eius quod antece-

dit contrarium concluseris, appellatur quartus concludendi modus. Valet autem in consequentibus tantũ & antecedentibus, cum consequentia primo loco, antecedentia secundo collocantur.

Si non est virtus, non est iustitia,
Iustitia autem est, virtus igitur.

Atque hi sunt octo utriusque generis modi. Hæc autem duo genera dispositionis nomine rectè appellare possumus. Reuocari autem facile possunt ad simplices formas, si ita tractentur, vt vnumquodque connexi membrum tribus ex vocabulis constet, sed tertia adiungenda propositio est, vt hæc conclusio, Si omnis virtus est expetenda, & iustitia: reuocatur ad tertium primæ dispositionis modũ interposita hac assumptiõe, Iustitia est virtus, hoc modo

Omnis virtus est expetenda,
Iustitia est virtus, Iustitia igitur expetenda est.

Si autem hoc modo enuncies, Si omnis virtus expetẽdá est, omnis etiam iustitia est, ad primũ modum reuocabitur, adiuncta hac assumptione, Omnis iustitia virtus est. Ac primus quidem modus prioris dispositionis huius generis ad primum & tertium primæ collocationis simplicis eo quem dixi modo, reuocandus est: quartus autẽ eodẽ modo adiecta assumptione ad secundum & quartum eiusdem modum reuocari potest, vt hæc, Si nulla virtus fugienda est, nulla iustitia

est, adiuncta hac assumptione perfici poterit,
Omnis autem iustitia virtus est, hoc modo,
Nulla virtus fugienda est:
Omnis autem iustitia est virtus
Nulla igitur est iustitia fugienda.
Primus autem secundæ dispositionis modus propositione aut etiam assumptione adiuncta, ad secundum & tertium mediæ collocationis simplicis reuocatur, ut hoc argumentum,
Si virtus est, habitus est,
Habitus autem non est, nec virtus igitur, reuocabitur hoc modo,
Ca Omnis virtus est habitus,
mes Nulla autem perturbatio est habitus,
tres Nulla igitur perturbatio virtus est.
Reliqui etiā eodem modo ad alios facilè reuocabūtur,
Sequitur vt qui loci per hæc duo genera tractari possint, doceamus. Quanquā enim locos omnes cum inuentionem eorum exponerē, per ea tractaui, tamen quia tum nec cuius generis essent, nec cuius modi, nec qui loci ad quenque modum accommodati essent, dixi, de eo aliquid dicendum est. Loci quidem definitionis, enumerationis partium, coniugatorum, generis, formæ, antecedentium, consequentium, rerum efficientium, rerum effectarum, minoris, & paris per primum primi generis dispositionis modum in confirmatione tractā-

tur. Definitionis hoc modo, Si reddere suum cuique in rebus expetendis est, iustitia expetenda est:

Reddere autem suum cuique in rebus est expetendis,

Iustitia igitur est expetenda. *Ab enumeratione partium, hoc modo, Si aut dignitatem, aut voluptatem, aut vtilitatem affert iustitia, expetenda est:*

Iustitia autem aut dignitatem &c. affert,

Est igitur expetenda. *A coniugatis, vt*

Si iustè facere expetendum est, iustitia expetenda est:

Iustè autem facere expetendum est, Iustitia igitur expetenda est. *Reliquos etiam locos eodem modo explicarem, nisi & hoc facile esset, & iam factum esset à nobis libro superiore: vt hoc vnum admonere satis sit, omnium horũ locorum tractationem ad hunc primum modum pertinere. Quemadmodum autem per primum modum in confirmatione tractantur, sic per quartum in refutatioue excepta forma quæ infirmam habet, ut dixi, generis refutationẽ, exceptis etiam antecedentibus. Reliquorum locorum aliqua exempla ponam, ac primum generis,*

Si animus non est qualitas, animus numerus non est:

Animus autem non est qualitas,

Animus igitur non est numerus.

Antecedentium autem talis erit tractatio,

Si perturbatio non est habitus, perturbatio virtus

non est,
Non est autem perturbatio habitus,
Non est igitur virtus.
Eadem est ratio cæterorum. Repugnantia autem, & ea contraria quæ medium nihil habent, & negantia, per tertium eiusdem primæ dispositionis modum explicantur. Repugnantia hoc modo,
Si dies est, nox non est,
Est autem dies, nox igitur non est.
Si rectè accepit, inuitus reddere non potest
Rectè autem accepit, non igitur inuitus potest reddere,
Eadem erit aliorum tractatio. Quartus etiam modus adhiberi potest, hoc modo,
Si non ualet, ægrotat,
Non ualet autem, ægrotat igitur.
Secundus etiam ac tertius secundæ dispositionis modus accommodati sunt ad eorundem locorum tractationem. Secundus hoc modo,
Si ualet, non ægrotat,
Non autem ægrotat, ualet igitur. Tertius est talis,
Si non ualet, ægrotat,
Non autem ægrotat, ualet igitur.
Consequentium autem locus & generis secundo etiam modo secundæ dispositionis refellitur hoc modo,
Si uerecundia est uirtus, uerecundia habitus est,
Non est autē habitus uerecundia, Non igitur uirtus est.

Antecedētium uerò & formæ loci per quartum eiusdem collocationis modum commodè tractatur.

Si non est animal, non est homo,
Est autem homo, animal igitur.

His autem duobus collocandorum argumētorum generibus finitima duo sunt alia quæ sunt ex disiunctionibus. Prioris generis exemplum est,

Aut dies est, aut nox,
Est autem dies, nox igitur non est, *Posterioris est huiusmodi,*

Aut dies est, aut nox,
Est autem nox, non igitur dies.

Primum quidem genus est, ut intelligi potuit, cum id quod primum est in disiunctione, etiam sumitur. Secundum autem, cum id quod secundū est, assumitur. Hoc autem fieri potest in utraque dispositione quatuor modis, ut utriusque modos quatuor, quemadmodum superiorum esse dicamus. Ac primi quidem generis primus modus est huiusmodi,

Aut hoc, aut illud,
Hoc autem, non igitur illud. *Secundus talis,*

Aut hoc aut illud,
Non autem hoc, illud igitur, *Tertius,*

Aut non hoc, aut non illud,
Hoc autem, non illud igitur. *Quartus,*

Aut non hoc, aut non illud,

Non hoc autem, illud igitur.
Posterioris autem generis primus est talis,
Aut uigilat, aut dormit,
Dormit autem, non igitur uigilat. Secundus,
Aut uigilat, aut dormit,
Non autem dormit, uigilat igitur. Tertius,
Aut non uigilat, aut non dormit,
Dormit autem, non igitur uigilat. Quartus,
Aut non uigilat, aut non dormit,
Non autem dormit, uigilat igitur.

Quanquam autem & tot genera sunt dispositionis earum ratiocinationum quæ sunt ex disiunctionibus, & totidem singulorum generũ modi, quot eorum esse dixi, quæ ex uno connexo constarent: tamen non tam late patet harum quam illarum usus & tractatio. Valent enim tãtũ in repugnantibus, & contrarijs quæ mediũ nihil habent. Idque ex ijs exemplis quibus sum usus perspici potuit. Eadem est ratio earum ratiocinationum quæ sunt ex coniunctionum negantia. In quo repugnãtium genera, quæ in libro de inuentione superiore tradidi, cognita habere plurimum potest. Duo sunt genera dispositionis: unum quo id quod primum, alterum quo id quod secundum est in coniunctione, sumitur.
Primi exemplum est eiusmodi,
Non & ægrotat & ualet,
Aegrotat autem, non igitur ualet. Secundi tale est,

Non & ualet & ægrotat,
Aegrotat autem, non igitur ualet.
Primi generis quatuor modi sunt: Primus quidem est talis,
Non & ægrotat & ualet:
Aegrotat autem, non igitur ualet. Secundus,
Non & ægrotat & valet,
Non autem ægrotat, valet igitur. Tertius,
Non & ambulat & non mouetur,
Ambulat autem: Mouetur igitur, Quartus
Non & mouetur, & non quiescit,
Mouetur autem: Non igitur, quiescit.
Tres autem sunt tantum secũdi generis, qui facile tractari possunt exemplo superiorum. Nam tertio superiori nullus respondet. Neque enim hæc conclusio est necessaria,
Non & ambulat & non mouetur.
Non autem mouetur, ambulat igitur. Aut hæc,
Mouetur autem, non igitur ambulat.
Omnes hi modi ad vnum repugnantium locum accõmodati sunt, excepto tertio, qui ad antecedentium, & formæ locum aptus est, itemque ad generis locum, si modo in totum & omnino dicatur. Exemplum erit huiusmodi,
Nõ & omnis virtus expetenda est, & iustitia nõ est,
Omnis autẽ uirtus expetenda est, iustitia igitur est etiã.

Restant iam nobis eæ ratiocinationes, quæ sunt ex connexi negantia, cuiusmodi est hæc,
Non si animal est, idcirco homo est
Animal autem est, non igitur homo.
Huius autem genera duo sunt ut superiorũ. unum cũ prius connexi membrum, alterum, cum posterius sumitur. Vtriusque generis tot sunt partes, quot eorum esse dixi, quæ non ex toto connexa dicuntur, quorum hæc ipsa sunt contraria. Itaque hæc contra quàm illa tractanda sunt.
Vt enim illic necessaria est conclusio,
Si homo est, animal est,
Est autem homo, igitur animal:
ita hic erit si contrà explicetur,
Non si animal est equus, homo est,
Animal autem est, non igitur homo.
Tale est illud Ciceronis in secundo de finibus, ut alio loco docui. Non enim si malũ dolor est, carere eo malo satis est ad benè uiuendũ. Sumere enim & concludere licet hoc modo, Malum autem est dolor, Nõ igitur carere eo malo satis est ad bene uiuendum. Sed ad hunc locum magis erit accommodatum argumentum, si tractetur hoc modo,
Non si dolor malũ est, idcirco summũ est malũ dolor,
Dolor autem malum est, non igitur summum malum.
Sed alias partes persequamur. Sit igitur superius ex-

emplum primæ partis forma quædam. Secundi autem modi exemplum est huiusmodi,

Non si mouetur, ambulat,

Non autem mouetur, Nec igitur ambulat,

Tertius est huiusmodi,

Non si non uidet catulus, idcirco cæcus est.

Nõ uidet autẽ ante nonum diẽ, Nõ igitur tũ cæcus est.

Quartus est cum omnia effata connexi sunt negantia, cuiusmodi est illud Quintiliani,

Nec si quid discere satis non est, ideo necesse non est. Sumi enim hæc possunt, Discere autem aliquid satis non est, Id igitur necesse est discere. Eiusdẽ generis est illud Ciceronis in quarto de finibus libro,

Non enim si omnia non sequebatur, idcirco non erat ortus illinc. Sumi enim hæc licet,

Non autem omnia sequebatur: Erat igitur ortus illinc. Loquitur de Zenone, qui cum multa decreta peripateticorum sequeretur, disciplinæ tamen nomen mutauerat: & negabatur ortus esse ab illis, quòd eorum non sequeretur omnia. Secũdi generis totidem sunt modi, quos superiorum similitudine facilè tractari licebit.

Quoniam autem omnia tractandorum argumentorum genera, singulorúmque generum partes & modos exposuimus, quíq; loci & quemadmodũ per eos tractari possent, ut necessariæ conclusiones sequerentur, docuimus: nũc de quibusdam argumẽtationũ generibus di-

cendum est, alijsq; nonnullis rebus, quæ ne cursum orationis nostræ impedirent, commodè adhuc à nobis tractari minimè potuerunt. Intelligendum est igitur ratiocinationes & argumentationes alias directò ad fidem spectare, alias non directò. Diriguntur eæ omnes de quibus adhuc diximus. Dirigi enim ad fidem apertè argumentatio dicitur, cum aliquid primum proponitur, deinde aliquid sumitur, ut ex ijs ad extremum id de quo agitur, concludendum sit, in quo uno superiores omnes uersantur. Nam cum eas tractaremus, ad eã quæstionem, quæ incidebat, uel probandam uel refellẽdam, tum propositionem adhibuimus, tum assumptionem. Ea autẽ non directò ad fidem pertinet, quæ non apertè & directò, id quod agitur efficit: sed primum incommodo urget, ut cum id aduersarij intellexerint, desinant esse pertinaces in disputando, eáque concedant nobis uel malo coacti, quod nec rationi dabant nec ueritati. Superius genus δεικτικὸν, quòd rem ostẽdat & probet, uocatur. Posterius autem διὰ τοῦ ἀδυνάτου, quòd ad rẽ quæ absurda sit, compellat aduersarios. Illud autem incommodo urgere dicitur, quod ex contradicente enunciatione eius quæ negatur aut conceditur, & altera cõcessa, aut cõcedenda, aliquid quod absurdum est efficit. Duobus enim modis incommodo aduersarios urgere possumus: uno, initio disputationis, cum id nobis conceditur quod falsum est, aut quod uerum negatur: altero,

cum cœpta est disputati o, & argumentatio ea uitiosa, quæ uera est: aut uera, quæ uitiosa esse dicitur. Primi generis exemplũ erit eiusmodi: Si initio disputationis hoc quæratur, sit'ne omnis iustitia expetenda, idq́; negetur, primum eius contradicentem quæ datur nobis accipiemus, Aliqua iustitia non est expetenda, tum propositio quæ concedenda est, adhibeatur hæc, Omnis uirtus expetenda est: ad extremum id concludendum est, quod fieri non potest, Aliqua igitur iustitia non est uirtus. Cuius argumenti hæc forma erit,

Omnis uirtus est expetenda,
Aliqua iustitia expetenda non est,
Aliqua igitur iustitia non est uirtus.

Posterioris generis tale erit exemplum, Primum fingamus hanc ratiocinationem quæ ad secundam dispositionem pertinet, negari ab aduersario,

Omnis iustitia uirtus est,
Aliquid quod fugiendum est, non est uirtus,
Aliquid igitur quod fugiendum est, iustitia non est.

Si negetur, ob eam causam erit, quia concessis ijs quæ sumpta sunt, nõ sequitur conclusio. Contradicentem igitur illius sumamus hanc, Omne quod fugiendum est, iustitia est: & illam propositionem quæ concessa est, Omnis iustitia uirtus est, tum tractemus argumentum hoc modo,

Omnis iustitia uirtus est,

Omne quod est fugiendum, est iustitia,
Omne igitur quod fugiendum est, uirtus est. quod fieri non potest, quoniam iam illa concessa est, Aliquid quod fugiendum est, non est uirtus, aut certè duæ contradicētes ueræ erunt. Hoc exemplum eò libentius posui, quòd paulò antè cum de reuocandis duarum postremarum collocationum modis disputarem, quartum secūdæ dispositionis primæ si firmus esse negaretur, primo modo primæ probādum esse dixi. Quod eodem modo iudicandum est de eo quem sextū posui, tertiæ collocationis. Nec ue[illegible]ò est, quòd doceā & quinq; extremos primæ dispositionis, & cæteros reliquarum duarum si negentur, quatuor omnium primis ita confirmari posse, ut incommodum aduersarij suscipere cogātur. Nam & hoc longum esset, & satis erit intelligi, qui quęque hoc modo cōfirmare possint. Primus quidem secūdæ dispositionis si negetur, quarto primæ, secundus tertio, tertius secundo, quartus, ut dixi, primo confirmabitur. Tertiæ autem dispositionis primi duo quos posui, idem genus probationis à secundo eiusdem primæ petunt, tertius à secundo, quartus à quarto, quintus à primo, & sextus à tertio. Si quis autem uel per se uel cum alio disputans, hoc ipsum experiri & obseruare uelit, exemplū unum atq; alterum posui eiusmodi, quorum similitudinem in cæteris tractandis facilè imitabitur. Quòd si quatuor omnium primi negentur, primus à quarto secūdæ collo-

cationis, secundus à tertio, tertius à secundo, quartus à primo & secundo fidem petent. Ita fit, ut argumenta quæ ex locis quos exposuimus in superiore libro, sumũtur, si firma esse negentur, hoc genere argumentorum confirmari poßint. Si enim exempli causa, hoc argumentum quod à genere ducitur, negetur,

Bar *Omnis uirtus eum in quo est, bene constituit,*
ba *Omnis autem iustitia uirtus est,*
ra *Omnis igitur iustitia eũ in quo est, bene constituit.*

Is qui negauerit, refelletur hoc modo,

Ba *Omnis uirtus eum in quo est, bene afficit. Est enim concessa,*
ro *Aliqua iustitia eum in quo est non bene afficit. Est enim contradicens negatæ conclusionis,*
co *Aliqua igitur iustitia non est uirtus.*

Hæc autem conclusio est contradicens assumptionis superioris argumentationis, Omnis iustitia est uirtus. Ita duæ contradicentes simul ueræ sunt, quod fieri non potest. Quo quidem incommodo suscepto & secuto, perspicuum est, superiorẽ firmam esse argumentationẽ. Eodem modo refelli poterit, si quis neget argumentum quod à genere in refutatione ducitur, ut si neget hoc argumentum,

Nullum uitium est uirtus,
Omnis intemperantia uitium est,
Nulla igitur intemperantia uirtus est: reprehendetur

hoc modo,

Nullum uitium est uirtus. Concessa est.

Aliqua intemperantia uirtus est. Contraria siue cõtradicens est negatæ conclusionis.

Aliqua igitur intemperantia non est uitium.

atqui, Omnis intẽperantia uitium est, ut concessum fuit, Duæ igitur simul ueræ erunt contradicentes. quod fieri non potest. Eadem est ratio cæterorum argumentorum. Neque enim ullum firmum negari potest, quin incommodo aduersarius facilè urgeatur. Hoc autem genus pars quædam eius esse dicitur, quod Aristoteles ὑποθετικὸν appellat, nos ex cõceßione possumus nominare. Errant enim qui putant Aristotelem hoc uerbo intellexisse ratiocinationes, quas copulatas supra uocauimus. Quod hinc sciri potest, quia non modo nõ alibi, sed ne eo quidẽ loco, in quo hoc genus tractat, exemplũ ponit copulatæ & cõpositæ ratiocinationis, sed solum simplicis. Multis quidem locis totam simplicem argumentationem uno cõnexo complectitur, hoc modo, Si omnis uirtus expetenda, & omnis iustitia uirtus est, profectò omnis iustitia expetenda sit necesse est. Sed hoc aliud genus est, atque superiora connexa, nec à simplicibus differre ullo modo uidetur. Argumentationis autẽ eius quæ ex conceßione appellatur, pars altera est, cum ex cõceßis ad id quod propositũ est peruenitur, ut si quæratur, An contrariorũ sit eadem disciplina? & ante in-

stitutam disputationem inter eos qui una disputant cõueniat, Aduersorum eandem esse disciplinam, hoc posito facile propositum docebitur hoc modo,

Omnis medicina in ualetudine & morbis uersatur,
Valetudo autem & morbus sunt contraria,
Medicina igitur uersatur in contrarijs.
Rursus, Medicina uersatur in contrarijs,
Disciplina igitur eadem in contrarijs uersatur.

Huius generis usus est plurimus in disputationibus, quibus quæ quisq; uelit defendere, scriptis assertionibus, ijs qui disputaturi sunt denunciant. Sed cum multa adhuc de argumentationibus dixerimus, nec exposuerimus in argumentis tractandis, sintne ueræ an falsæ sumptiones, aliquid de eo dicendum est. Hæc igitur duo tenere debemus in earum ratione & scientia, si argumentatio uera sit & firma ob eam causam esse, aut quia tam sumptiones ueræ sunt, quàm cõclusio, aut quia uel altera saltẽ est falsa, siue propositio, siue assumptio. Itaque hæc duo præcepta tradunt Dialectici: unum, Si firmum sit argumẽtum, & antecedentia uera sint, etiã consequens uerũ esse oportere. Alterum, Si firmum sit argumentum, & consequentia falsa sint, uera esse non posse ea quibus consequantur. Hoc posterius Cicero in quarto de finibus attigit, Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea quæ rem aliquam consequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse quam sequantur. Paulo infrà,

Teneamus enim illud necesse est, cum consequens aliquod falsum sit, illud cuius id consequens sit, non posse esse uerum. In 2. de Diuinatione, Sit extremum: effectum tamen non est, Ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, uerum effici non potest. Iacet igitur tota conclusio. Hoc postremum falsum est. Ex falsis enim uerum sæpe efficitur, nec solum ex falsis, sed etiam ex falso uno. Ex falsis hoc modo,

Nullus homo est animal,
Omnis autem lapis est homo,
Nullus igitur lapis est animal,
Ex altera falsa sumptione hoc modo,
Nullus lapis est animal,
Omnis autem arbor est lapis,
Nulla igitur arbor animal est.

Sed hoc interest quòd si altera tantum falsa sit, & de toto genere falsum dicat, propositio esse non potest, sed sola assumptio: Sin de parte solum falsum dicat, utrauis esse potest. Hoc autem in tribus disponendorum argumentorum generibus uerum est. In eis enim & ex falsis & ex uno falso, uerum concludi & effici potest. Cum autem dico ex falsis uerum effici, ex duobus dico. Omnis enim perfecta argumentatio ex propositione & assumptione constat. Nam quem Soritem Græci, acerualem Cicero conclusionem uocat, ea non una est argumentatio, sed plures. Itaq; omnia ea argumenta quæ id

quod agitur antecedunt, προσυλλογισμοὺς Aristoteles uocat, id est cõclusionis quædam præludia, quæ uiam ad rem muniunt. Altè enim res repetitur. Vt si quæratur, Sit'ne omnis iustitia qualitas? idque ita confirmetur,
Omnis affectio est qualitas,
Omnis autem habitus est affectio,
Omnis igitur habitus est qualitas:
Rursus, Omnis habitus est qualitas,
Oĩs autẽ uirt⁹ est habitus, Oĩs igitur uirt⁹ est qualitas:
Rursus, Omnis uirtus est qualitas,
Omnis iustitia est uirtus, Oĩs igitur iustitia est qualitas:
harum quidem triũm argumentationũ duæ primæ sunt quasi præparatiões, tertia autẽ ea est, quã causa postulat. Captiosum hoc genus est, nisi ea quæ minutatim et quasi gradatim adduntur, sint priorum consequentia, id est nisi ea necessariò sequantur, sed ita ut etiã extremum cũ primo nõ poßit nõ cohærere. Vitiosa igitur sunt Stoicorum ferè argumenta, quibus minutatim sic aliquid efficiũt, ut postrema primis nõ respõdeant. Cuiusmodi ille est Sorites à Cicerone in 5. Quæstionũ Tusculanarũ explicatus his uerbis, Etenim quicquid est quod bonũ sit, id expetendũ: quod autẽ expetẽdũ, id certe approbãdum: quod uerò approbaris, id gratum acceptũq; habẽdum: Ergo etiã dignitas ei tribuẽda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est: Bonũ igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit solũ bonum. Mul-

ti enim interiecti sunt quasi gradus, qui nihil ad rem pertinent & præterea, non si quicquid est quod bonum sit, id expetendum: & expetendum sit honestum, idcirco quod sit honestum, id solum bonum esse necesse est. Isto enim pacto diuitias solas in bonis numerari licebit. Reuocandus est ergo aduersarius ad certas leges ratiocinationum, ut ex duobus aliquid semper efficiat, dum ad propositum peruenerit. Ac de ratiocinatione quidem, eiúsque generibus, tractandísque per ea argumentis satis multa diximus. Quoniam autem principio huius libri ita argumentationem diuisimus, ut aliam ratiocinationem de qua dictũ est, uocaremus, aliam inductionem, de ea pauca dicẽda sunt. Ac inductio quidem, quæ ἐπαγωγὴ græcè dicitur, quid sit dictum est. Nunc autem quid á ratiocinatione differat, & quot eius sint genera dicamus. Duobus quidem modis inter se differunt. Vno, quòd ratiocinatio ad propositiones eas adhibetur quæ non sunt perspicuæ, nec uerbo carent quod supra est ad docẽdum: inductio autem fere ad principia & primas enunciationes. Altero, quòd ratiocinatio primum uerbum tertio conuenire aut non conuenire docet medij interuentu: Inductio autem tertij interuentu, uel primum medio cõiungit, uel ab eo dirimit. Itaque inductio semper á rebus singulis aut angustiùs patentibus ad res uniuersas & latiùs patentes peruenit: Ratiocinatio ferè á rebus latiùs patentibus ad angustiores. In-

ductionis autem eædem sunt ferè partitiones, quæ ratiocinationis. Nam & simplex alia, alia copulata est. Itémque primi generis tres sunt, secundi duæ dispositiones. Primi generis exemplum est huiusmodi, Temperantia omnis expetenda est, itémque fortitudo, iustitia, & prudẽtia: Hæ autem sunt omnes uirtutes: Omnis igitur uirtus expetenda est. Secundi generis talis est tractatio, Si contrariorum, negantium, priuantium, & eorum quæ cum aliquo conferuntur eadem est disciplina, omnium cõtrariorum eadem disciplina est. Primum autem est, secundum igitur. Inductionis autem pars quædam exemplum uidetur, ut enthymema ratiocinationis. Exemplum quidem est, cum primum uerbum medio conuenire, aut non conuenire docetur ea re quæ tertio similis sit, ut,

Cum finitimis bellum gerere periculosum est,
Male enim ceßit Thebanis id bellum quod cum Phocensibus gesserunt:
Bellum autẽ quod cũ Romanis geretur, geretur cũ finitimis: Bellum igitur illud graue & plenum periculi est.

Exemplum quidem mihi non uidetur contentum una similitudine, ut firmum sit argumentum. Itaque quædam est imbecilla & imperfecta inductio, quæ perficietur multorum quæ similia sunt tertio, inductione. Restat enthymema, quod imperfecta quædam ratiocinatio est. de eo autem non dicerem, nisi Aristotelem

auctorem haberem. Omne autem enthymema ex duabus tantum partibus constat, ut, Lac habet: cum uiro igitur concubuit. Versatur autem nō in rebus omnibus, sed in uerisimilitudine tantum & signis, Aristotelis sententia. Cicero autem ad contrariorum locum transfert enthymemata. Itaque si eum sequamur, ratiocinationes eæ omnes quæ ex connexo uno constāt, enthymemata dicentur. Vt hoc argumentū, Si uirtus omnis expetenda est, & iustitia. Nam si argumentatio omnis est uel ratiocinatio, uel inductio, uel exemplum, uel enthymema, & superius argumētum nec ratiocinatio sit, nec inductio, nec exemplum, relinquitur ut sit enthymema. Perficitur autē enthymema uel propositionis uel assumptionis adiectione. Quod quemadmodum faciēdum sit, in omnium argumentorum dispositione suprà ostendi.

Iam ad instituti nostri finē peruenisse uideremur, nisi quædam esset ars falsa, quæ cum Dialecticæ sit inimicissima, eam tamen fallaciter imitatur. Nam cum Dialecticam definierimus artem probabiliter de quaque re in utranque partem disserendi, hæc nihil minus profitetur, cum interim hominibus eius speciem gerere se uelit. Quòd si non est satis, quæ bona sunt præcipere, nisi etiam ea quæ nocent quemadmodum uitentur, eísque ocurri poßit, doceas: aliquem à nobis laborem hic quoque locus uidetur postulare. Quanquam cum locos exponerem, magna ex parte negocium hoc à me confe-

ctum est. Nam in unoquoque loco explicando, non solum argumenta quæ ex eis firma ducerentur, commemoraui, uerũ etiã quæ infirma essent tradidi. Aliquid tamẽ præterea dicẽdum est, quò simus ad omnia cautiores. Hoc igitur primum in respondendo uidendum est, quo ex genere locorum ducatur argumẽtum, & quam ad dispositionem pertineat. Deinde an rectè effectum sit ex ijs quæ sumpta sunt, conclusio: Si uitiosè, uitium erit dicendum, & resistendum simili argumento. Si locus nominetur, quibus in rebus ualeat, docendum erit: si genus ratiocinationis opponetur, uitium contrà proferatur. Quoniam autem certa quædam sunt uitia quæ illi qui Sophistæ uocantur, sequi solent, ea breuiter exponamus. Id quidem hominum genus Aristotelis sentẽtia quinq; sibi in disputãdo proponit. Volunt enim illi homines primum ac maximè uideri coarguere eos quibuscum disputant, deinde falsum aliquid ostendere, tum ad aliquid quod hominum mentes respuant cõpellere, tum ad solœcismum impellere, postremum omnium idem sæpe dicere. De his quinq; cum pauca dixero, tum perorabo. Genera coarguendi & reprehendendi sunt duo. Capiunt enim eos quibuscum disputant, refellentes tum uerbis, tum sententijs atque rebus. Verbis, ut homonymia, ambiguitate, adiunctione, distinctione, accentu, & forma orationis. Rebus autem, ut accidente, simplici aut quadam ex parte intelligentia, re-

prehensionis ignoratione, consequentibus principij petitione, multiplici pro una interrogatione. Dicamus primum de uerborum captionibus. Captiosum est argumētum ex homonymia, & ambiguo, cum est uerbum aliquod homonymum & ambiguum, cuius significationes distinguere non possumus. Exemplum est eiusmodi, Ex homonymia, Qui sedet, surgit: Qui autē surgit, stat: Qui igitur sedet, stat. Ex ambiguitate, ut si quæratur, an quod quis uidet, id uidet? & concedatur. hoc modo Sophistæ soliti sunt refellere, incommodo urgentes aduersarium, Quod quis uidet, id uidet: Socrates autem lapidem uidet: lapis igitur uidet. Hoc autem differunt homonymia & ambiguitas, quòd illud in uno uerbo spectatur, hoc in uerborum collocatione. Ex coniunctione hæc sunt, Qui sedet, ambulare potest: Socrates autem sedet: Socrates igitur sedens potest ambulare. Qui nō scribit, is scribere potest: Aristoteles autem dormiens nō scribit: Aristoteles igitur dormiens potest scribere. Ex distinctione hoc modo, Quinque sunt duo & tria, duo autem & tria sunt numerus par & impar, Quinque igitur sunt numerus par & impar. Ex accentu facilia sunt omnia. Ex forma orationis est cum qualitas pro quantitate dicitur, aut rationes aliarum categoriarum immutantur, Exemplum est huiusmodi, ut si quæratur, An discere sit agere aliquid in disciplina? Et cōcedatur. tū refelletur hoc modo, Si discere est agere ali-

quid in doctrina: Et docere est aliquid agere doctrina: Discere igitur docere est. Atq; hæc sunt exempla earum captionū quas Sophistæ in verbis spectare solēt. Nūc dicendū est quemadmodū eis poßimus resistere. Ac cōmunis quidē explicatio captionum quæ ex uerbis nascuntur, ratiocinationis & reprehensionis definitio est. Nam si quis quid confirmet, per ratiocinationē argumentum tractet necesse est. Ita si concessis ijs quæ sumpta sunt, non sequatur conclusio, vitiosum erit argumentum: cuius vitium quod sit exponendum est. Vitia autem eadem in confirmando, quæ in reprehendendo nascuntur. Quoniam igitur reprehensio quæ ἔλεγχος à grecis dicitur, contrariæ est seu contradicētis enunciationis conclusio, contradicens autem vna eiusdem cuius altera, & rei & nominis, & temporis, & modi, & eadem ex parte, quemadmodum primo libro exposuimus esse debet, nō est id quidem dubium, quin si hoc vnum dicamus, non esse reprehensionem quòd contradicentem non concluserit, aut sumpserit, captioni resistamus. Ac in homonymia quidem & ambiguo, res eadem non est in nostra enunciatione, & in ea qua aduersarius vtitur, vt si quis quærat, An omnis canis latret? optimum erit distinguere, sed etiam negare possumus. si igitur negemus, & ille contrà dicat, imò verò omnis canis latrat. Omnis enim domesticus latrat, perspicuum est eum, rem aliam ac ne-

gauerimus, probare. Dedimus enim de ſydere & piſce, ille autē de cane domeſtico probat. Eadē eſt ratio formæ orationis, niſi ijs in categorijs quarū res nullæ ſunt reuera, cuius generis illa eſt qua Sophiſta quidam in Diogenem vſus eſſe dicitur,

Quod ego ſum, tu non es,
Ego autem homo ſum,
Non igitur homo es.

Quod enim de rebus ſingulis dabatur, ad ſpeciē trāſ-ferebat. Et illa, Decem prius habebas, nunc autem nouem tantum habes: Quod igitur prius habebas, & nunc non habes, amiſiſti. Naturæ enim ad quantitatis quæſtionē transfertur. In reliquis autem tribus ſolum ſpectatur verbum aut oratio. Nam nec, ſi verbum vnum aliàs accentu acuto, aliàs graui pronuncietur, res mutatur, nec ſi cōiūcta ſit, aut diſtincta oratio. Poteſt enim vera & falſa eſſe oratio, iiſdem rebus manentibus. Coniunctæ exemplum hoc erit, vt ſi quæratur, Verumne ſit, nunc te eſſe natum? nunc enim aduerbium ad duo referri poteſt. Atque hæ ſex captiones, quæ ex verbo naſcuntur, vno modo ita diſcutiendæ ſunt. Altero autem, cum contrarium eius ex quo natæ ſunt, proferetur; ut ſi ex diſtinctione orationis orta ſit, diluetur coniunctione: ſi ex acuti tono, grauis erit afferendus: contráque ſi ex graui, in acuto erit explicatio. Atque hæc quidem de ijs captionibus, quæ in-

verbis spectatur. In rebus autem septem, vt dixi, Sophistæ sequuntur. Captio prima ex accidente attributóque nascitur. Eius exemplum tale est, Si demonstrato cane, hic pater est, & tuus est, tuus igitur pater est. Accidit enim tantum vt sit canis & tuus & pater. Item hoc, si eum qui venit, ignoras, & is qui uenit est Ioannes, quem nosti, eundem nosti & ignoras. Hæc ita explicabuntur, si dicătur alia atq; alia esse quæ pro vno accipiuntur in accidentibus. Captio secunda est ex consequentibus, quæ alia præcepta non desyderat, atq; ea quæ in consequentium loco tradidi. Tertia est, cum aliquid quod ex parte est, omnino esse dicitur, vt si quis concludat aliquem esse album & nigrum. Aethiopem enim esse nigrum, & candidos habere dentes. Refertur etiam ad locum, ad tempus, & comparationem. Contrariorum natura hæc diluitur maximè. Neque enim repugnat duo contraria eidem ita simul conuenire, vt alterum tantum quadam ex parte conueniat. Quarta est, quæ ex reprehensionis ignoratione euenit. Quanquam hæc fusa est potius per omnes quā partem efficiat. Omnes enim ex reprehensionis ignoratione nascuntur. Quinta est, cum principium disputationis petitur & postulatur. Principium autem, Aristotelis sentĕtia, petitur quinque modis. Primo, si quis id petat, quod probandum ipse susceperit. Altero, cum id quod singillatim demonstrari debet, totum petitur,


vt si quis probans temperantiam benè eum in quo est afficere, id virtutes efficere ponat. Quod enim probare debet, id sibi vt detur postulat. Tertio, cum petitur pars eius quod totum probandum est: vt si qua virtus expetenda esse ponatur, cum omnis probari debeat. Quarto si id quod propositum est, adhibita diuisione ponatur aut petatur, vt si cui probandum sit, těperantiam versari in voluptatibus quæ ex tactu & gustatu percipiuntur, singillatim petat utrunque. Sexto cum unum petitur eorum, quorum alterum alterius sit consequens, vt si quis probans hominem natum esse ad agendum, sibi dari postulet, Quod ad agendum sit natum, id esse hominem. His autem quinque generibus notatis & cognitis, facile erit captionibus huius generis occurrere. Horum enim quinque vnum petere captiosum est. Itaque uitium hoc statim indicandum est si notum sit, etiamsi id quod ponatur, aut postuletur sit probabile. Si obscurum sit, ignorationem suam eius qui postulat differendi inscitia teget. Sextum genus est, cum id pro causa ponitur, quod causa non est, vt si quis eloquentiam malam esse ex eo concludat, quòd multi abutantur ea ad reip. perniciem. Hoc genere fere omnes imprudẽtes utimur. Ciceronis est disputatio in tertio extremo de natura Deorũ, qua docere conatur rationẽ quæ à deo data est nobis malam esse, quòd nullum facinus sine ratione suscipitur, aut perfi-


citur. In eodem errore versantur, qui Aristotelē propterea reijciendum censent, quòd Sophistæ, ei dantes operam, extiterunt. Hoc autem genus facile est ad explicandum. Vera enim caussa proferenda & opponēda est, vt bonas artes non esse in causa cur mali & improbi homines qui eis se dedunt, fiant, sed eorū qui præclaris rebus abutantur, improbitatem. Septimum genus id quod ex multiplici interrogatione nascitur perfacile est. Distinctione enim statim diluendum est. Quanquam interdum nihil nos adiuuabit distinctio, vt si positis duobus quorum vnum album sit & nigrū alterum, quæratur eáne alba sint an nigra? Itaque nec alba nec nigra ea esse respondendum est, sed nigrum & album. Ac de captionibus quæ tum in verbis, tū in rebus spectantur, breuiter diximus. Alia autem sunt quatuor quæ captandis alijs sequuntur Sophistæ, de quibus nihil est quod dicam, præsertim cum ea his temporibus in disputationes non admodum incidant. Solœcismis enim & nugis locus nullus est. Alia autē duo incidunt illa quidem interdum, sed tamen præcepta aut nulla aut certe perpauca desyderāt. Nam cum Sophistæ falsum aliquid ostendere soleant certis quibusdam quæstionibus positis sine rerum de quibus agatur, aut personarum commemoratione, eos cogere debemus, vt rem proponant, si velint à nobis aliquam exprimere confeßionem. Quòd si eo velint nos com-

pellere & quasi trahere disputando, vbi magna eis suppetet argumentorum copia, admonere eos debebimus, vt ne à proposito aberrent: sin monitione nostra contẽpta eò nos trahant, tum id quod afferent nihil ad rem dicemus pertinere. Ita verò nihil contra opinionem omnium dicemus, eorum argumẽtis victi, si cum aliquid dicent in eam sententiam, aut ita esse negabimus, aut magnos auctores nos habere dicemus.

FINIS.

EXCVDEBAT IO. LODOICVS TILETANVS.
1544.




DEL LIBRO
di LELLI
GIUSEPPE